



ΑΣΚΛΗΠΙΟΣ


L.W.SCHMIDT
NEW YORK
German Bookseller





22500291109

Johs. Jülicher

# PHARMACOPŒA

# BORUSSICA.

EDITIO SEPTIMA.




BEROLINI
APUD RUDOLPHUM DECKER.

MDCCCLXII.

Auf Ihren Bericht vom 31. v. M. genehmige Ich, dass die im Verlage des Geheimen Ober-Hofbuchdruckers Decker zu Berlin unter dem Titel: *Pharmacopoea Borussica, Editio septima* erschienene neue Ausgabe der Landes-Pharmakopöe vom 1. Juli k. J. ab den Aerzten, Wundärzten und Apothekern, so wie den Behörden zur Richtschnur dienen soll und setze zugleich hinsichtlich deren Anwendung für den ganzen Umfang der Monarchie unter Aufhebung aller entgegenstehenden Vorschriften Folgendes fest:

1) Nach Massgabe der von dem Minister der Medicinal-Angelegenheiten aufzustellenden *Series medicaminum* sind die Arzneimittel in sämmtlichen Apotheken jederzeit vorräthig zu halten.

2) Die Apotheker dürfen zwar diejenigen chemischen und pharmaceutischen Präparate, welche sie selbst zweckmässig anzufertigen behindert sind, aus anderen Apotheken, chemischen Fabriken oder Droguenhandlungen entnehmen, sind aber für die Reinheit und Güte der angekauften Präparate unbedingt verantwortlich.

3) Wenn ein Arzt oder Wundarzt von den in der beiliegenden Tabelle **A.** aufgeführten Arzneimitteln zum innerlichen Gebrauch eine grössere Dosis verordnet, als daselbst angegeben ist, so hat derselbe einer

solchen Dosis das Zeichen ! beizufügen. Hat er dies unterlassen, so ist der Apotheker verpflichtet, das Recept dem Arzt oder Wundarzt zurückzuschicken, worauf derselbe entweder eine geringere Dosis zu verordnen oder das Zeichen ! beizufügen hat.

4) Die in der anliegenden Tabelle **B.** zusammengestellten Arzneimittel sind in abgeschlossenen Räumen nach den für die Aufbewahrung der Gifte bestehenden medicinalpolizeilichen Bestimmungen zu verwahren.

5) Die in der Tabelle **C.** aufgeführten Arzneimittel sind in abgesonderten Räumen und getrennt von den übrigen Arzneimitteln aufzustellen.

6) Hinsichtlich der Bestrafung etwaniger Zuwiderhandlungen gegen vorstehende Anordnungen verbleibt es bei der Bestimmung

unter No. 7. der Cabinets-Ordre vom 5. October 1846 — Gesetz-Sammlung, Seite 509. —

Dieser Erlass ist durch die Gesetz-Sammlung bekannt zu machen und der siebenten Ausgabe der Landes-Pharmakopöe vorzudrucken.

Berlin, den 10. November 1862.

Wilhelm.

von Mühler.

An

den Minister der geistlichen, Unterrichts- und Medicinal-Angelegenheiten.

# PRAEFATIO.

---

Rerum naturalium scientia atque usus nostro aevo tantopere et aucta et exculta est, ut quae anno 1846 in lucem prodiit sexta Pharmacopoeae Borussicae editio non iam sufficere, sed emendanda novisque curis reficienda dudum videretur.

Nova igitur editio ut accurate et ex hominum peritorum consilio praepararetur, primum qui res provinciales publice administrant ad nos perscribere jussi sunt, quid in priore editione immutandum censerent. Deinde spectatae doctrinae viris quibusdam physicis, medicis, pharmacopolis id negotium commissum est, ut iis, quae illi vel suasissent vel monuissent, diligenter examinatis pharmacopoeae instaurandae operam darent.

Qui viri consiliis crebro collatis atque experimentis permultis subtilissime institutis mandatum ea qua par erat cura ac diligentia ad artis et scientiae leges exsequi studuerunt. In quo opere has potissimum rationes secuti sunt.

Ac primum quidem maxime hoc tenendum esse censuerunt, non id agi, ut doctrina, sed ut lex promulgetur. Quare in describendis medicamentis simplicibus et praeparatis nonnisi ea notanda esse arbitrati sunt, quae ad sinceritatem, bonitatem, puritatem cognoscendam necessaria sunt; quae autem rudes materiae ex vitae quotidianae usu omnibus notae sunt, eas sine descriptione nominasse satis habuerunt; explicationibus ex reconditiore doctrina petitis omnino abstinuerunt.

Eadem ratione in eligendis medicamentis iis, quibus locus daretur in pharmacopoea nostra, constanter usi sunt. Nam medicaminum a medicis

adhibitorum nunc tanta copia est, multaque eorum tam dubiae utilitatis sunt, ut arti medicae minime convenire videretur, omnia medicamenta, ne iis quidem exceptis, quibus nonnulli medici, alieno magis quam suo judicio ducti, aut singulares quasdam easque nondum satis probatas artis medendi rationes secuti, interdum uti solent, in communem usum recipi et publica auctoritate commendari.

In qua re ut certi constituerentur fines, ea tantum medicamina vel simplicia vel praeparata in pharmacopoeam recipi visum est, quorum natura artis ope plane cognosci posset, quorumque vis et effectus in animantium corpora et ex physiologiae legibus et ex probato medicorum usu quam certissime posset dijudicari.

Quodsi medicamentorum, quae secundum hunc delectum apud pharmacopolas prostare debent, numerus paulo angustior videtur, facile patebit,

ipsi rei damnum aliquod inde natum non esse. Nam quum pharmacopolae non coguntur medicamenta multa, eaque vel minime necessaria vel brevi corruptibilia comparare, tum facile poterunt ea et providere et dispensare, quae quamvis in pharmacopoeam recepta non sint, tamen a medicis ejus loci commendantur. Neque verendum est, ne publicis sanitatis rationibus periculum aliquod inde oriatur, quum dubitandum non sit, quin et ipsi pharmacopolae et apothecarum revisores medicaminum examinandorum satis gnari et periti sint. Quam ob causam etiam methodus medicaminum examinandorum nonnisi ad eas res indicata est, quarum simul sinceritas ipsa methodo cognoscitur et comprobatur.

Postquam in hunc modum ambitus rerum in pharmacopoea tractandarum circumscriptus est, in recognoscenda sexta ejus editione statuendisque

praeceptis de iis medicamentis, quae ab ipsis pharmacopolis confici deberent, potens et mirabilis illa vis negligi non potuit, quam hoc tempore chemicae officinae in rem pharmaceuticam omnem necessario exercere coeperunt.

Pharmacopolae enim quum in laboratoriis suis ampliorum officinarum chemicarum apparatu carentes multas res chemicas eadem puritate atque vilitate componere non possint, qua in chemicis officinis parantur, non iam obligari debent, ut chemicalia omnia secundum pharmacopoeae praecepta ipsi accurate conficiant.

Itaque in posterum pharmacopolae ea praeparata chemica, quae ipsi recte conficere impediuntur, apud alios pharmacopolas emere non cogentur, sed licebit eas res etiam in officinis chemicis vel a mercatoribus sibi comparare: satis enim cautum esse videtur, quod praescriptam rerum

sinceritatem suo cum periculo praestare debent. Propter hanc causam sextae editionis tabula **A.** nunc omissa est.

In textu pharmacopoeae redigendo quum universa prioris editionis forma maximam partem servata est, tum continuatio, qua ex recepto literarum ordine singula medicamenta enumerantur. Neque nomina medicamentorum mutata sunt, nisi ubi subtilior rerum physicarum cognitio, quae hodie viget, mutationem postulabat. Ubique autem ad errorem prohibendum in singularum rerum titulis antiqua nomina novis addita sunt. Quo factum est, ut synonymorum tabula nunc opus non esse videretur; at rerum indicem copiosissimum addendum curavimus.

Praeterea ad inutiles repetitiones evitandas eae leges, quae de extractis, oleis aethereis, syrupis, tincturis ejusque generis aliis rebus parandis in

universum valent, iis praeceptis praemissae sunt, quae de singulis his rebus adhibenda erant. Portionum indicatio in omnibus praeceptis et literis et numeris facta est, eo consilio, ut pharmacopolis liberum esset, cujusvis rei conficiendae pondus ex suo usu constituere.

Temperaturam, qua medicaminum liquidorum pondus specificum constituendum est, 15 graduum thermometri Celsiani esse voluimus, quoniam plurima ejus generis experimenta ad hunc calorem instituta sunt. Quum autem difficile sit, illam temperaturam, praesertim aestate, aequabilem conservari, utile visum est, specificorum ponderum indici tabulam adjungi, ex qua illud pondus ad quamlibet temperaturam intra 12 et 25 gradus Cels. in quavis re facile cognosci posset.

Ceterae rerum nominumque tabulae ad usum pharmacopoeae necessariae ut in sexta editione ad

finem libri adjectae sunt, sed diligenter correctae et hujus editionis praeceptis adaptatae. Prioris editionis tabula **D.**, exhibens doses medicamentorum maximas pro adulto, eo amplificata est, quod juxta singulam dosin maximam etiam ea, quam intra 24 horas maximam adhibere licet, addita est. — Praeterea haec tabula, nunc tab. **A.** inscripta, in sextae editionis tabulae **A.**, in hac editione omissae, loco posita est, ne tabularum **B.** et **C.**, medicamenta exhibentium, vulgo venena dicta et medicamenta a reliquis separanda, veteres tituli mutandi essent.

In reagentium denique indice praecepta quaedam addita sunt de vi dilutionis, qua in iis adhibendis opus est.

Berolini, mense Novembri MDCCCLXII.

# PONDERA.

---

**Libra medicinalis** continet **uncias duodecim.**
**Uncia** continet **drachmas octo.**
**Drachma** continet **scrupulos tres.**
**Scrupulus** continet **grana viginti.**

**Libra medicinalis** aequalis est circiter $\frac{21}{30}$ **librae communis Borussicae**, lingua vernacula accuratius definita = **21 Loth 0 Quent** 4 **Zent 6**,99557 **Korn.**

**Libra communis Borussica** secundum legem die 17. mensis Maji anni 1856 datam ita determinata est, ut aequalis sit **500 Grammatis Gallicis.**

**Libra** medicinalis aequalis est **350**,78348 **Grammatis Gallicis.**

**Mensuris nunquam, sed semper ponderibus liquorum quantitas indicanda est.**

# Acetum.
## Essig.

*Acetum crudum.*

Liquor limpidus, coloris expers aut paullum subflavus, tantum acidi continens, ut partes sex sufficiant ad kali carbonici soluti partem unam saturandam; continet igitur in 100 partibus 5 fere partes acidi acetici crystallisati.

E spiritu vini diluto paratum sit; cave ne acidum sulphuricum liberum neve alia acida contineat.

# Acetum aromaticum.

| | | |
|---|---|---|
| *R.* | **Foliorum Rosmarini**, | 4. |
| | » **Salviae**, | 4. |
| | » **Menthae piperitae**, singulorum concisorum **partes quatuor**, | 4. |
| | **Caryophyllorum** contusorum, | 1. |
| | **Rhizomatis Zedoariae**, | 1. |
| | **Radicis Angelicae**, singulorum concisorum **partem unam**, | 1. |
| | **Aceti partes centum quadraginta quatuor.** | 144. |

Concisa et contusa in vas immitte, tum iis infunde acetum et vase clauso per dies quatuor saepius agitando macera, quo facto exprime et filtra.

Sit limpidum, coloris e rubro fusci.
In vasis bene obturatis servetur.

## Acetum pyrolignosum crudum.
### Roher Holzessig.

***Acidum pyrolignosum crudum. Acidum pyroxylicum crudum. Acidum Ligni empyreumaticum. Rohe Holzsäure.***

## Acetum pyrolignosum rectificatum.

***Acidum pyrolignosum rectificatum. Acidum pyroxylicum rectificatum.***

Acetum pyrolignosum crudum retortae vitreae immissum leni igne adhibito destillet, donec tres quadrantes eliciti fuerint.

Sit coloris subflavi.
In vasis bene clausis serva.

## Acetum Rubi Idaei.

**Fructus Rubi Idaei** contusos sepone, donec fervore peracto liquor supernatans limpidus appareat, tum exprime, succum per aliquot dies sepone, deinde filtra.

Hujus liquoris **parti uni** . . . . . . . . . . . . . . . . 1.
affunde

**Aceti partes tres.** . . . . . . . . . . . . . . . . . 3.

Acetum rubi idaei hoc modo paratum coloris sit laete rubri et limpidum.

In lagenis non amplis, repletis et bene obturatis servetur.

## Acetum scilliticum.

***R.*** **Bulbi Scillae** minutim scissi **partem unam**, . 1.
**Aceti partes decem.** . . . . . . . . . . . . . . . 10.

Bulbo scillae infunde acetum et macera per triduum saepius agitando, tum leniter exprime et filtra.

Sit limpidum et flavum.

In vase bene clauso servetur.

## Acidum aceticum.

***Alcohol Aceti. Acetum glaciale.***

***R.*** **Natri acetici partes decem**, . . . . . . . . . . . 10.
**Acidi sulphurici crudi** ponderis specifici
= 1,845 **partes septem.** . . . . . . . . . . 7.

Natrum aceticum ab aqua crystallisationis calefaciendo plane liberatum in cucurbitam immittatur, qua calefacta acidum sulphuricum sensim infundatur, tum leni calore fiat destillatio acidi acetici. Destillato

tantum **Kali bichromici** pulverati addatur, ut agitatione saepius repetita flavum appareat, tum rectificetur.

Quae prima transierint rejiciantur, donec decem destillati partes unam olei corticis citri partem solvant.

Sit limpidum, coloris expers neque empyreuma aut acidum sulphurosum continens.

## Acidum aceticum dilutum.

***Acetum concentratum.***

***R.*** **Natri acetici partes duodecim, . . . . . . . . . 12.**
**Acidi sulphurici crudi partes octo. . . . . . . 8.**

Natrum aceticum in cucurbitam immitte et acido sulphurico affuso mixtum per noctem sepone; postridie destillet, donec **partes novem** transierint.

Destillato, si acidum vel sulphuricum vel hydrochloratum continet, aliquid natri acetici admisceatur, sin acidum sulphurosum continet, non nihil kali bichromici addatur, tum rectificetur.

Destillatum tanta **Aquae destillatae** copia diluatur, ut pars una sufficiat ad unam kali carbonici soluti partem saturandam.

Sit limpidum, coloris expers, ab empyreumate, ab acidis et sulphurico et sulphuroso liberum.

Continet in 100 partibus 29 partes acidi acetici crystallisati.

Pondus specificum = 1,038.

In vasis bene clausis servetur.

## Acidum arsenicosum.

### Arsenige Säure.

*Arsenicum album. Weisser Arsenik.*

Ad usum medicum in frustis, non pulveratum, praesto sit et adhibeatur.

**Cautissime** servetur.

## Acidum benzoicum crystallisatum.

*R.* **Calcariae ustae partem unam**, . . . . . . . . . 1.
**Resinae Benzoës partes quatuor**. . . . . . . . . 4.

Calcariae aqua exstinctae et ad pultem aequabilem redactae resina benzoë subtilissime pulverata addatur et exactissime immisceatur. Mixtura per aliquot dies loco calido seposita saepius agitetur, aqua evaporatione consumta compensetur, deinde **Aquae quinquaginta partibus** infusis coquatur, dum aquae pars tertia evaporaverit; tum in manicam infundatur. Quae restant, deinceps cum **Aquae vicenis quaternis partibus** bis et percoquantur et filtrentur. Liquores filtrati usque ad **partes quadraginta** evaporent, tum filtrentur et sensim **Acidum hydrochloratum** addatur, quoad acidi benzoici nihil amplius secernatur. Quod praecipitatum in manicam immissum paullum eluatur, denique exprimatur. Huic acido in **Aquae destillatae ebullientis viginti partibus** soluto paullum **Carbonis animalis**, e quo sales calcariae acido hydrochlorato extracti sint, addatur, tum agitetur, soluta fervida filtrentur, deinde refrigerentur.

Acidum crystallisatum ubi filtrando separaveris a liquore, ex hoc insuper acidum benzoicum acquires, si eum **Natro carbonico** saturatum evaporando concentraveris et acido hydrochlorato acidum benzoicum, quo modo supra demonstravimus, rectificandum inde secreveris.

Crystalli in aquae ebullientis viginti et in aquae frigidae ducentis partibus plane solubiles sint et ignitae sine residuo avolent neve contineant acidum cinnamomicum, quod, si crystallos addito et kali bichromico et acido sulphurico aut kali hypermanganico solutas calefeceris, olei amygdalarum amararum odore dignoscitur.

In vase bene obturato serva.

## Acidum benzoicum sublimatum.

***Flores Benzoës.***

Paretur sublimatione e **Resina Benzoë.**

Adhibeatur sartago ferrea, cujus margini apparatus affixus sit ita instructus, ut in eo acidum benzoicum bene refrigeretur, in sartaginem non recidat et sublimationis progressus observari possit.

Sint crystalli albae, demum flavescentes, subpellucidae, splendoris sericei, odoris grati benzoini.

In vase bene obturato serva.

# Acidum hydrochloratum.

*Acidum muriaticum. Spiritus Salis acidus.*

***R.*** **Natrii chlorati partes quinque, . . . . . . . . . . 5.**
**Acidi sulphurici crudi partes novem, . . . . . 9.**
**Aquae communis partem unam. . . . . . . . . . 1.**

Natrium chloratum immitte in cucurbitam, quam obturamento bis perforato vel e gummi elastico parato vel suberino et superiore parte sacculi e gummi elastico confecti claudas. Alteri obturaculi foramini securitatis causa tubulus, alteri tubus vitreus bis curvatus, crassus, non nimis angustus ita adaptetur, ut gas penetrare non possit. Altera tubi vitrei extremitas eo usque in vas vitreum porrigatur, ut in aquam, quae inest in eo, paullum tantummodo immergatur. Vas vitreum decem aquae partium capax sit et **Aquae destillatae partes septem et dimidiam contineat.** Per tubulum securitatis causa insertum acidum sulphuricum antea ea aquae copia, quam supra diximus, dilutum affunde. Per noctem acidum sulphuricum vim habeat ad natrium chloratum, postridie cucurbitam calefacere incipe et tam diu perge, ut massa plane liquida facta sit neve acidi hydrochlorati quidquam extricetur. Vas continens aquam, in quam gas inducatur, bene refrigerandum est. Acidum **Aqua destillata** diluatur, ut sit pondus specificum = 1,124, quod respondet 25 partibus acidi hydrochlorati anhydri in 100 partibus.

Sit limpidum, coloris expers, ab acidis et sulphuroso et sulphurico et arsenicoso liberum et igne plane avolans.

In vasis, quae epistomiis vitreis clausa sint, **caute** servetur.

## Acidum hydrochloratum crudum.
### Rohe Salzsäure.

***Acidum muriaticum crudum. Spiritus Salis.***

Pondus specificum sit = 1,165 usque ad 1,170, quod respondet 33 ad 34 partibus acidi hydrochlorati anhydri in 100 partibus.

Continet vestigia acidi sulphurici et sulphurosi, argillae et ferri. Rejiciatur, quod acidum arsenicosum continet.

**Caute** servandum est.

## Acidum nitricum.

***R.*** **Kali nitrici** pulverati **partem unam**, . . . . . . 1.
**Acidi sulphurici crudi partem unam.** . . . . . 1.

Kali nitrico in retortam vitream immisso affunde acidum sulphuricum, ut retorta ad dimidiam partem usque repleta sit. Adhibeatur excipulum satis amplum, quod, quantum sat est, refrigeretur.

Fiat destillatio calore primum remissiore, sub finem sensim aucto, donec residuum tranquille fluat. Destillatum obtentum tam diu in retorta calefiat, donec, quae transierint, si cum argento nitrico soluto agitaveris, non amplius distincte turbida appareant. Quae in retorta restant, **Aqua destillata** diluantur, donec pondus specificum sit = 1,180, quod respondet 25 partibus acidi nitrici anhydri in 100 partibus.

Sit limpidum, coloris omnino expers, ab acido hydrochlorato ad vestigium vix conspicuum, ab acido sulphurico omnino liberum et plane avolans.

In vasis epistomiis vitreis clausis **caute** servetur.

## Acidum nitricum crudum.

### Rohe Salpetersäure. Scheidewasser.

***Spiritus Nitri. Aqua fortis.***

Pondus specificum sit = 1,334 usque ad 1,340, quod respondet 45,5 usque ad 46,5 partibus acidi nitrici anhydri in 100 partibus.

**Caute** servetur.

## Acidum nitricum fumans.

***Spiritus Nitri fumans.***

***R.*** **Kali nitrici** pulverati siccati **partes duas**, . . . 2.
**Acidi sulphurici crudi** ponderis specifici
= 1,845 **partem unam**. . . . . . . . . . 1.

Kali nitrico in retortam immisso affunde acidum sulphuricum, ita ut retorta ad dimidiam partem usque repleta sit. Retortae lege artis junge cucurbitam amplissimam, tum fiat destillatio, cucurbitam exactissime refrigerando, calore primum modico, sub finem aucto, quam diu acidum destillat.

Sit coloris e fusco rubri, in aëre fumum rubrum suffocantem exhalans, a chloro, quantum fieri potest liberum, ponderis specifici = 1,520 usque ad 1,525.

In vasis epistomiis vitreis clausis **caute** servetur.

## Acidum phosphoricum.

***R.*** **Acidi nitrici partes duodecim,** . . . . . . . . . **12.**
**Phosphori** a Sulphure liberi **partem unam,** . **1.**
**Aquae hydrosulphuratae partes duodecim.** . . **12.**

Primum acidum nitricum, deinde phosphorus retortae vitreae amplae, cum excipulo leviter conjunctae immittantur et in balneo vaporis leniter calefiant, donec phosphorus omnino solutus sit. Deinde liquor in patinam porcellanicam effundatur et evaporet, donec remaneant partes tres, vel donec vapores nitrici non amplius dignoscantur; tum aqua hydrosulphurata addatur. Liquor per aliquot dies loco stet calido, donec omne acidum arsenicicum vel arsenicosum forsan immixtum, in formam sulphureti arsenici conversum secretum sit, quo facto filtretur et evaporet, dum omne gas hydrosulphuratum expulsum fuerit. Liquor deinde **Aqua destillata** diluatur, ut sit ponderis specifici = 1,130, quod respondet 16 partibus acidi phosphorici anhydri in 100 partibus, et filtretur.

Sit coloris expers, ab arsenico, acidis et phosphoroso et nitrico et sulphurico plane liberum.

## Acidum succinicum.
### Bernsteinsäure.

***Acidum succinicum depuratum. Sal Succini depuratum.***

Sit paullum subflavum, igne plane avolans, a sale ammoniaci quocunque liberum, in viginti quatuor partibus aquae frigidae et in duabus partibus aquae ebullientis solubile.

## Acidum sulphuricum.
### Schwefelsäure.

***Acidum sulphuricum rectificatum seu purum.***
***Acidum seu Oleum Vitrioli rectificatum seu depuratum.***

Sit coloris expers, a plumbo sulphurico, arsenico et acido nitrico liberum, plane avolans. Pondus specificum = 1,840. Continet 80 partes acidi anhydri in 100 partibus.

In vasis epistomiis vitreis clausis **caute** servetur.

## Acidum sulphuricum crudum.
### Rohe Schwefelsäure.

***Oleum Vitrioli. Vitriolöl.***

Pondus specificum sit = 1,830 usque ad 1,833, quod respondet 75 usque ad 76 partibus acidi sulphurici anhydri in 100 partibus, aut 94 usque ad 94,7 partibus in 100 partibus acidi sulphurici ponderis specifici = 1,845.

Si acidum sulphuricum crudum ponderis specifici = 1,845, quod continet 81,7 partes acidi sulphurici anhydri in 100 partibus, praescriptum est, sed emi non potest, acidum sulphuricum venale cum acido

sulphurico fumante ita misceatur, ut pondus praescriptum compleatur.

**Caute** servetur.

## Acidum sulphuricum dilutum.

***Spiritus Vitrioli.***

***R.*** **Acidi sulphurici partem unam,** . . . . . . . . . **1.**
**Aquae destillatae partes quinque.** . . . . . . . **5.**

Acidum sulphuricum caute in aquam infundatur, quam ita, ut vertex oriatur, peragitaveris.

Pondus specificum sit = 1,113 usque ad 1,117.

## Acidum tannicum.

***Acidum gallo-tannicum. Tanninum.***

***R.*** **Gallarum** subtiliter pulveratarum **partes octo,** **8.**
**Aetheris partes duodecim,** . . . . . . . . . . . . **12.**
**Spiritus Vini rectificatissimi, partes tres.** . . **3.**

Gallis, quas immittas in vas claudendum, infunde aetherem et spiritum vini, qui saepe quassati per biduum ad illas vim habeant, tum defunde. Hanc operationem repete mixturam ex aethere et spiritu vini eadem ratione compositam adhibens. Liquoribus commixtis et filtratis **tertiam Aquae destillatae partem** mensura dimensam adde, saepe agita, facta separatione liquorem aquosum sejunge, deinde liquorem aethereum eadem ratione bis tracta. Quo facto solutiones aquosae, si limpidae non sint, filtrentur, in balneo vaporis evaporent; residuum, ut pulvis fiat subtilis, conteratur.

Sit pulvis e subflavo albus, cum aqua solutionem limpidam praebens.

## Acidum tartaricum.

### Weinsäure.

***Sal essentiale Tartari. Weinsteinsäure.***

Adhibeantur tantummodo crystalli coloris expertes, aëri expositae non mutabiles, ab acido sulphurico, kali bisulphurico, calcaria et metallis liberae.

In aquae frigidae parte una et dimidia, in aquae fervidae parte una sit solubile.

## Adeps suillus.

### Schweineschmalz.

Nonnisi bene elotus adhibeatur.

## Aether.

### Aether.

***Aether sulphuricus. Naphtha Vitrioli. Schwefeläther.***

Sit limpidus, coloris expers, ab acidis liber et plane avolans, ita ut linteum aethere imbutum exhalatione peracta odorem non spargat.

Pondus specificum ne excedat numerum 0,728.

Loco frigido in vasis non amplis, optime clausis servetur.

# Aether aceticus.

*Naphtha Aceti.*

*R.* **Natri acetici partes viginti quinque**, . . . . . 25.
**Acidi sulphurici crudi** ponderis specifici
= 1,845 **partes viginti**, . . . . . . . . 20.
**Spiritus Vini rectificatissimi partes duodecim.** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 12.

Natrum aceticum, quum primum calefaciendo ab aqua crystallisationis liberatum est, statim in cucurbitam immittatur, tum spiritus vini cum acido sulphurico mixtus affundatur, quo facto cucurbita confestim accuratissime claudatur epistomio suberino, in quod tubi vitrei bis inflexi altera extremitas inserta sit, quum altera vasis refrigeratorii tubo sit adaptata. Mixtis per noctem sepositis fiat destillatio in balneo aquae, donec aether omnino elicitus fuerit.

Quod destillaverit, si acidum liberum continet, **Kali carbonico soluto** ab acido liberatum, cum **aequali pondere Kali acetici soluti** conquassetur. Aether separatus in apparatu antea descripto super **Calcio chlorato ab aqua omnino liberato**, aut super **Kali acetico** in balneo aquae rectificetur.

Sit limpidus, coloris expers, ab acido liber. Cum aequali volumine aquae ubi conquassatur aqua ne amplius quam decima parte augeatur.

Pondus specificum sit = 0,900 usque ad 0,904.

## Aloë.
### Aloë.

***Aloë Capensis. Kap-Aloë.***
***Aloës variae species. Asphodeleae Jussieu.***
**VI. 1. *Linné.***

Massae coloris e subviridi obscure fusci, tritae e subviridi flavae, fractura conchata, resinose nitentes, ad margines subdiaphanae, frigore friabiles, calore emollescentes, saporis peramari, quae solutae in aqua liquorem turbidum, in spiritu vini limpidum efficiunt.

## Alumen.
### Alaun.

Adhibeatur alumen sive kali sive ammoniacum continens, sive utrumque mixtum.

Ferri nonnisi minimam partem contineat.

In aquae frigidae partibus sedecim ad viginti, in aquae ebullientis partibus aequalibus plane sit solubile.

## Alumen ustum.

Alumen uratur in olla fictili, non vitreata, satis capaci, donec totum in massam levem, spongiosam mutatum fuerit.

Sit plane etsi lente in aqua solubile.

# Ammoniacum aceticum solutum.

*Liquor Ammoniaci acetici. Liquor Acetatis ammonici.*

**R.** **Ammoniaci caustici soluti partes decem, . . 10.**
**Acidi acetici diluti partes tredecim aut quantum sufficit. . . . . . . . . . . . . 13.**

Ammoniaco caustico soluto tantum acidi acetici diluti addatur, quantum ad neutralisationem requiritur, deinde tantum **Aquae destillatae**, ut totum habeat pondus **partium triginta.**

Sit limpidum, coloris expers, plane volatile et quantum obtineri potest, neutrum.

Continet 15 partes ammoniaci acetici in 100 partibus. Pondus specificum sit = 1,028 usque ad 1,032.

In vasis bene clausis servetur.

# Ammoniacum carbonicum.

*Ammonium carbonicum. Alkali volatile. Carbonas ammonicus. Flüchtiges Laugensalz.*

Sit plane volatile, ammoniaci hydrochlorati non nisi minimam partem continens, ab aliis salibus alienis et a metallis liberum.

In vasis optime obturatis servetur.

# Ammoniacum carbonicum pyro-oleosum.

*Ammonium carbonicum pyro-oleosum.*
*Sal volatile Cornu Cervi.*

**R.** **Ammoniaci carbonici** triti **partes triginta duas,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **32.**
**Olei animalis aetherei partem unam.** . . . . . **1.**

Oleum animale aethereum sensim in ammoniacum carbonicum instilla et conterendo exacte cum eo misce. Pulvis demum flavescit.

In vase vitreo bene clauso servetur.

# Ammoniacum causticum solutum.

*Liquor Ammoniaci caustici.*
*Spiritus Salis ammoniaci causticus.*

**R.** **Calcariae ustae partes tres,** . . . . . . . . . **3.**
**Aquae communis partes decem,** . . . . . . . **10.**
**Ammoniaci hydrochlorati** pulverati **partes tres,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **3.**
**Aquae destillatae partes quinque ad sex.** . **5—6.**

Aquae communis partes decem sensim adde calcariae ustae ut primum hydratem, tum pultem efficiat, cui in cucurbitam immissae ammoniacum hydrochloratum adjice. Cucurbitam obturamento e gummi elastico parato, bis perforato sive epistomio suberino bis perforato adhibita superiore parte sacculi e gummi elastico confecti claude. Alteri obturaculi foramini securitatis causa tubulus, alteri tubus vitreus bis curvatus, crassus,

non nimis angustus ita adaptetur, ut gas penetrare non possit. Tubi vitrei altera extremitas in vas vitreum aquae partium octo capax et aquae destillatae quinque ad sex partes continens ad fundum usque porrigatur. Leni calore et vas vitreum bene refrigerando fiat extricatio gasis, quod aqua absorbebitur.

Liquor in excipulo collectus cum tanta **Aquae destillatae** copia misceatur, ut pondus specificum sit = 0,960.

Sit limpidum, coloris expers, odoris non empyreumatici, plane volatile, acido nitrico largius justo saturatum argento nitrico addito non nisi paullum turbidum apparens, ab acido carbonico quantum fieri potest liberum et ponderis specifici supra dicti. Continet 10 partes ammoniaci anhydri in 100 partibus.

In vasis epistomiis vitreis clausis servetur.

## Ammoniacum cuprico-sulphuricum.

***Cuprum sulphurico-ammoniatum. Cuprum ammoniacale. Sulphas cupricus ammoniacalis.***

*R.* **Cupri sulphurici** triti **partem unam**, . . . . . . 1.
**Ammoniaci caustici soluti partes tres**, . . . . 3.
**Spiritus Vini rectificatissimi partes sex**. . . . 6.

Cuprum sulphuricum in vas vitreum immissum et ammoniacum causticum solutum additum vase clauso conquassentur, donec cuprum sulphuricum solutum fuerit.

Liquori per chartam bibulam filtrato affunde spiritum vini et agita.

Praecipitatum crystallinum inde natum, filtro separatum inter chartam bibulam calorem non adhibens sicca.

Solutum in aquae frigidae parte una et dimidia limpidum sit, majore aquae copia addita turbidum.

In vase bene claudendo **caute** servetur.

## Ammoniacum hydrochloratum.

### Gereinigter Salmiak.

***Ammoniacum hydrochloratum depuratum. Ammonium muriaticum depuratum. Sal ammoniacum depuratum. Hydrochloras ammonicus depuratus. Chloretum Ammonii depuratum.***

Sit coloris et odoris expers, plane volatile, a metallis et salibus alienis liberum.

In aquae frigidae 2,75 partibus et in aquae ebullientis partibus aequalibus sit solubile.

## Ammoniacum hydrochloratum ferratum.

***Ammonium muriaticum ferruginosum seu martiatum. Flores Salis ammoniaci martiales. Hydrochloras ammonicus cum Sesquichloreto Ferri.***

***R.*** **Ammoniaci hydrochlorati partes sedecim, . . 16.**
**Aquae destillatae partes triginta duas, . . . . 32.**
**Ferri sesquichlorati soluti partes tres. . . . . 3.**

Ammoniaco hydrochlorato in aqua destillata soluto adde ferrum sesquichloratum solutum, mixta in vase porcellanico in balneo vaporis inter assiduam agitationem ad siccum evaporent et in pulverem redigantur.

In aqua plane sit solubile.

Continet 2,5 partes ferri vel 7,4 partes ferri sesquichlorati in 100 partibus.

In vase bene clauso loco obscuro servetur.

## Ammoniacum solutum anisatum.

*Liquor Ammoniaci anisatus. Spiritus Salis ammoniaci anisatus.*

***R.*** **Spiritus Vini rectificatissimi partes triginta duas, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 32.**
**Olei Anisi partem unam, . . . . . . . . . . . . . 1.**
**Ammoniaci caustici soluti partes octo. . . . . 8.**

Oleo anisi in spiritu vini soluto adde ammoniacum causticum solutum.

Sit limpidum et subflavum.

In vasis bene clausis serva.

## Ammoniacum succinicum solutum.

*Liquor Ammoniaci succinici. Liquor Cornu Cervi succinatus. Liquor Succinatis ammonici.*

***R.*** **Acidi succinici** pulverati **partes viginti quatuor, . . . . . . . . . . . . . . . . . 24.**
**Olei Succini rectificati partem unam, . . . . 1.**
**Aquae destillatae partes centum nonaginta duas, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 192.**
**Ammoniaci carbonici pyro-oleosi partes viginti quatuor. . . . . . . . . . . . . 24.**

Acido succinico pulverato admisce terendo oleum succini rectificatum, quo facto mixta in aqua destillata

solve et adde ammoniaci carbonici pyro-oleosi quantum supra diximus seu quantum ad neutralisationem requiritur.

Liquorem per viginti quatuor horas sepositum filtra.

Sit limpidum, subfuscum, in aëre calefactum residui nihil relinquens.

Pondus specificum sit = 1,050 usque ad 1,054.

In vasis bene obturatis servandum est.

## Aquae destillatae.

Omnes aquae destillatae locis serventur frigidis et ejus olei aetherei, quod in iis solutum requiritur, odorem spargant. Mucilaginosae et coloris non expertes rejiciantur.

## Aqua Amygdalarum amararum.

*R.* **Seminis Amygdali amari partes sex,** . . . . . **6.**
**Aquae fluviatilis** vel **pluvialis partes triginta,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **30.**
**Spiritus Vini rectificatissimi partem unam.** . . **1.**

Semen amygdali contusum, calorem evitando expressione ab oleo pingui liberetur. Placenta in pulverem redacta cum aqua conteratur. Mixtura spiritu vini antea affuso immittatur in vas destillatorium ita instructum, ut aquae vapores e lebete vaporario excitati mixturam transeant. Quibus vaporibus tam diu fiat destillatio, donec **sex partes** destillaverint. . . . . . . . . . . . **6.**

Liquor limpidus vel paullum turbidus acidi hydrocyanati anhydri partem unam contineat in 720 partibus.

In vasis repletis bene obturatis caute servetur.

Si **Aqua Cerasorum amygdalata** praescripta est, **Aquae Amygdalarum amararum pars una** mixta cum **Aquae destillatae partibus viginti tribus** dispensetur.

## Aqua Chamomillae

*R.* **Florum Chamomillae vulgaris partem unam,** . **1.**
**Aquae communis quantum sufficit.**
Destillent **partes decem.** . . . . . . . . . . . . . . **10.**

## Aqua Cinnamomi simplex.

*R.* **Corticis Cinnamomi Cassiae** contusi **partem unam,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **1.**
**Aquae communis quantum sufficit.**
Destillent **partes decem.** . . . . . . . . . . . . . . **10.**
Sit turbida, demum fiat limpida.

## Aqua Cinnamomi spirituosa.

***Aqua Cinnamomi vinosa.***

*R.* **Corticis Cinnamomi Cassiae** contusi **partem unam,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **1.**
**Spiritus Vini rectificati partes duas,** . . . . . . **2.**
**Aquae communis quantum sufficit.**
Destillent **partes novem.** . . . . . . . . . . . . . . **9.**
Sit turbida, demum fiat limpida.
In vase bene clauso servetur.

## Aqua communis.

Gemeines Wasser. Wasser.

Adhibeatur aqua, quaecunque purissima in promptu est, sive fontana sive fluviatilis sive pluvialis.

Si a sapore malo libera, coloris expers et limpida obtineri non potest, per arenam et carbonem in vicem strata filtretur.

## Aqua destillata.

*R.* **Aquae communis partes tres** . . . . . . . . . . . 3.
Destillent **partes duae** . . . . . . . . . . . . . . . . . 2.
rejecta vicesima parte primum prodeunte.

Sit limpida, odoris et saporis expers et plane volatilis.

## Aqua Florum Aurantii.

***Aqua Florum Naphae.***

**Aqua Florum Aurantii triplex venalis** diluatur cum **duabus partibus Aquae destillatae.**

## Aqua Foeniculi.

*R.* **Fructuum Foeniculi** contusorum **partem unam,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Aquae communis quantum** satis.
Destillent **partes triginta** . . . . . . . . . . . . . . . 30.

## Aqua Menthae piperitae.

*R.* **Foliorum Menthae piperitae partem unam, . 1.**
**Aquae communis quantum sufficit.**
Destillent partes septem. . . . . . . . . . . . . . 7.

## Aqua Menthae piperitae spirituosa.

*Aqua Menthae piperitae vinosa.*

*R.* **Foliorum Menthae piperitae partem unam, . . 1.**
**Spiritus Vini rectificati partem unam et dimidiam, . . . . . . . . . . . . . . . . . . $1\frac{1}{2}$.**
**Aquae communis quantum satis.**
Destillent partes sex aquae turbidae. . . . . . . . 6.
In vase bene obturato servetur.

## Aqua Plumbi.

*Aqua plumbica. Aqua saturnina.*

*R.* **Aquae destillatae partes quadraginta octo, . . 48.**
**Plumbi hydrico-acetici soluti partem unam. . 1.**
Misceantur.
Sit paullum turbida. Ante dispensationem agita.
**Caute** serva.

## Aqua Rosarum.

*R.* **Florum Rosarum incarnatarum recentium partes duas,** . . . . . . . . . . . . . . . **2.**

aut

**Natrii chlorati parte una conditorum partes tres,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **3.**

**Aquae communis quantum satis.**

Destillent **partes decem,** quae colentur. . . . . . **10.**

## Aqua Rubi Idaei.

*R.* **Placentae Fructuum Rubi Idaei recenter expressae partes nonaginta sex,** . . . **96.**

**Kali carbonici crudi partem unam.** . . . . . . **1.**

Placentae fructuum rubi idaei contritae adde kali carbonicum et aquae copiam sufficientem.

Destillent **partes sedecim.** . . . . . . . . . . . . . **16.**

Hujus aquae pars **una Aquae destillatae partibus septem** ad dispensationem diluatur.

## Argentum foliatum.

### Blattsilber.

Ab aliis metallis, quam maxime liberum sit.

## Argentum nitricum cum Kali nitrico.

*R.* **Argenti nitrici partem unam,** . . . . . . . . . . **1.**

**Kali nitrici partes duas.** . . . . . . . . . . . . . **2.**

Argentum nitricum et kali nitricum mixta atque in vase porcellanico liquata in bacillorum formam funde.

In vase denigrato **caute** serva.

## Argentum nitricum fusum.

*Lapis infernalis. Nitras argenticus fusus.*

*R.* **Argenti granulati quam purissimi partes tres, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 3.**
**Acidi nitrici partes octo. . . . . . . . . . . . . . . 8.**

Argentum acido nitrico in cucurbita solutum in balneo vaporis ad siccitatem evaporet, residuum in **Aquae destillatae partibus duabus** solutum filtretur. Cujus liquoris trigesima pars **Natro hydrico soluto** praecipitetur, praecipitatum inde ortum bene eluatur ejusque ad reliquum liquorem digerendo sensim addatur tantum, ut portiuncula liquoris exemta et filtrata ammoniaco caustico soluto addita hocce non amplius colore coeruleo tingat. Tum liquor filtretur, ad siccitatem evaporet, residuum in vase porcellanico liquetur et massa liquefacta in modulum lapidis infernalis infundatur.

Sit album aut paullum griseum in aquae frigidae aequali pondere plane, in ammoniaco caustico soluto ita solubile, ut hoc non tingat.

Bacillos in vase denigrato bene obturato **caute** serva.

## Argilla.

### Thon.

***Bolus alba. Weisser Bolus.***

Arenam et calcariam carbonicam ne contineat.

Sit coloris albi.

# Atropium sulphuricum.

## Schwefelsaures Atropin.

***Sulphas atropinicus.***

Prismata gracilia, tenuia, nitida, in aëre constantia, in aqua et in spiritu vini facile solubilia; pars una in mille aquae partibus soluta saporis est amari, nauseam moventis et pupillam dilatat.

In aëre ignitum residuum ne relinquat.

**Cautissime** serva.

# Auro-Natrium chloratum.

***Aurum muriaticum. Aurum muriaticum natronatum. Chloretum Auri cum Chloreto Natrii.***

| | | |
|---|---|---|
| ***R.*** | **Auri puri partes tres,** . . . . . . . . . . . . . . | **3.** |
| | **Acidi hydrochlorati partes novem,** . . . . . . . | **9.** |
| | **Acidi nitrici partes tres,** . . . . . . . . . . . . . | **3.** |
| | **Aquae destillatae partes viginti quatuor,** . . . | **24.** |
| | **Natrii chlorati partes quinque.** . . . . . . . . . | **5.** |

Acidum hydrochloratum et acidum nitricum auro affusa calefiant, donec metallum plane solutum fuerit. Liquor in vase porcellanico in balneo vaporis ad syrupi spissioris densitatem evaporet. Quo facto refrigeratus in massam salinam concrescit, quae in aquae destillatae sufficiente quantitate solvatur; soluta filtrentur et his addatur liquor filtratus ex quantitatibus et aquae destillatae et natrii chlorati supra dictis paratus. Liquor in balneo vaporis ad siccitatem evaporet; massa residua conteratur.

Sit pulvis flavus, in aëre humescens, in aqua plane solubilis. In vase vitreo bene claudendo **caute** servetur.

## Aurum foliatum.
Blattgold.

Ab aliis metallis, quantum fieri potest, liberum sit.

## Balsamum Copaivae.
Kopaivabalsam.

**Copaiferae variae species.**
**Caesalpiniaceae *De Candolle.* X. 1. *L.***

Graveolens, pellucidum, flavescens, paullatim fuscescens, olei pinguis consistentia, sapore subamaro-subacri; caute calefactum ne oleum terebinthinae redoleat, resinam friabilem relinquat.

## Balsamum Nucistae.

***R.*** **Cerae flavae partem unam, . . . . . . . . . . . 1.**
**Olei Provincialis partes duas, . . . . . . . . . 2.**
**Olei Nucistae partes sex. . . . . . . . . . . . 6.**

Liquefiant. Massam liquefactam cola, deinde in cistulas papyraceas effusam et refrigeratam disseca.

Sit coloris aurantiaci, odoris aromatici.

# Balsamum Peruvianum.
## Peru-Balsam.

***Balsamum Indicum nigrum. Schwarzer Indischer Balsam.***

**Myroxyli variae species. Papilionaceae *L.* X. 1. *L.***

Spissiusculum, non siccescens, e nigro fuscum, in guttis diaphanum, odoris vanillacei.

Ne quo oleo pingui aut aethereo neve alio quocunque balsamo adulteratum sit.

# Bismuthum hydrico-nitricum.

***Bismuthum nitricum praecipitatum. Magisterium Bismuthi. Subnitras bismuthicus.***

***R.*** **Acidi nitrici puri partes novem,** . . . . . . . . **9.**
**Bismuthi** grosso modo pulverati, **ab Arsenico**
liberi **partes duas.** . . . . . . . . . . . . **2.**

Acido nitrico in cucurbitam infuso bismuthum sensim adde, postremo vim, quam habet in acidum nitricum calefaciendo auge. Qua languescente solutis **tantum Aquae destillatae** addatur, quantum pondere par sit dimidiae liquoris parti. Quo facto subsidant, defundantur et ad crystallisationem usque evaporent. Crystallorum sedulo contritarum **pars una** misceatur cum **Aquae destillatae partibus quatuor,** mixtura in vas, quod **Aquae destillatae fervidae partes viginti unam** contineat, effusa probe agitetur.

Praecipitatum inde ortum simul atque est refrigeratum, statim filtro separa, ne nimis elue et calorem evitando sicca.

Sit albissimum, ab arsenico liberum.

In vasis bene clausis servetur.

## Boletus igniarius.

### Feuerschwamm.

***Fungus Chirurgorum vel igniarius.***

**Polyporus fomentarius *Fries.***

**Fungi, Hymenomycetes *Fries.* XXIV. 4. *L.***

Sit omnino mollis; cave ne kali nitrico sit praegnans.

## Boletus Laricis.

### Lärchenschwamm.

***Agaricum.***

**Polyporus officinalis *Fries.***

**Fungi, Hymenomycetes *Fries.* XXIV. 4. *L.***

Frusta levia, friabilia, spongiarum instar fibrata, e subflavo alba, manducata saporis primum dulcis, postea amari, os urentia.

## Bulbus Scillae.
### Meerzwiebel.

***Radix Scillae seu Squillae.***

**Urginea Scilla** ***Steinheil.*** **Asphodeleae** ***Juss.*** **VI. 1.** ***L.***

Bulbi squamae concisae, siccatae corneae, pellucidae, fragiles, coloris albidi, saporis mucilaginosi et amari nauseam moventis; rejiciantur fuscae, tenaces, humectatae.

## Calcaria hypochlorosa.
### Chlorkalk.

***Calcaria chlorata. Chloretum Calcariae. Chlorum Calcariae. Subchloris calcicus. Unterchlorigsaure Kalkerde.***

Calcariae hypochlorosae partes centum cum aqua tritae et addito liquore acidulato, e ferro-ammoniaci sulphurici partibus centum et decem parato, kali hypermanganicum solutum ne amplius decolorent; praebet igitur calcaria hypochlorosa 10 minimum partes chlori efficacis e 100 partibus.

Si calcaria hypochlorosa soluta requiritur, liquor filtratus tantum dispensetur.

In vasis bene clausis, a luce remotis, loco frigido servetur.

## Calcaria soluta.
### Kalklösung. Kalkwasser.

***Aqua Calcariae. Aqua Calcis.***

**Calcaria usta** cum **Aquae communis partibus triginta** in olla fictili misceatur; mixtura in vas vitreum,

quod accurate obturaveris, effundatur et liquor ad usum limpidus defundatur. Residuo aquam inter agitationem iterum infundere licet idemque facere licebit, quam diu aquam calcaria saturatam obtinebis.

Limpida et sine sedimento dispensetur.

## Calcaria usta.
### Gebrannter Kalk.

***Calcaria. Calx viva. Oxydum calcicum.***

## Camphora.
### Kampher.

***Camphora Japonica vel Chinensis.***

**Camphora officinarum *Nees.* Laurineae *Juss.***
**IX. 1. *L.***

In vasis bene clausis servetur.

## Cantharides.
### Spanische Fliegen.

***Cantharides.***

**Lytta vesicatoria *Fabricius.* Insecta, Coleoptera.**

Insecta quantum fieri potest integra, vermiculatione non corrosa, omnino exsiccata, in vasis clausis **caute** servanda.

## Caragaheen.

***Fucus** seu **Lichen** seu **Muscus Caragaheen.***
***Irländisches Perlmoos.***

**Sphaerococcus crispus et Sphaer. mamillosus** ***Agardh.***
**Algae, Florideae** ***Lamouroux.*** **XXIV. 3.** ***L.***

Thallus planus vel canaliculatus, dichotomus, segmentis linearibus vel cuneatis, siccatus cartilagineus, subflavus, cum aqua coctus refrigerando gelatinam praebens.

## Carbo pulveratus.

***Carbo praeparatus.***

Carbo e lignis omnino in carbones mutatis, aut, si requiritur, e pane paratus, in pulverem subtilissimum redigatur.

## Caryophylli.

Gewürznelken.

**Caryophyllus aromaticus** ***L.*** **Myrtaceae** ***Juss.***
**XII. 1.** ***L.***

Alabastri obscure fusci, odore peculiari fragrantissimo, manducati os vehementer urentes, digitis pressi oleum aethereum emittentes.

# Castoreum Canadense.

## Kanadisches Bibergeil.

***Castoreum Anglicum. Englisches Bibergeil.***

**Castor Americanus *Cuvier.* Mammalia, Glires.**

Folliculi Sibiricis similes, membranis exterioribus arcte adnatis, haud separabilibus instructi, massa subresinosa, duriore, fractura nitente, odoris debilioris repleti.

Cave ne confundantur cum folliculis factitiis, e resina membranis modo involuta confectis.

# Castoreum Sibiricum.

## Sibirisches Bibergeil.

***Castoreum Russicum, Europaeum.***
***Russisches, Europäisches Bibergeil.***

**Castor Fiber *L.* Mammalia, Glires.**

Folliculi, saepe duo magis minusve inter se conjuncti, glabri, obovati, obscure fusci, membranis exterioribus duabus crassioribus, facile separabilibus, interioribus duabus tenuioribus, lamellatim cavum castoreo ipso repletum trajicientibus. Hoc massam sistit compactam, recentem e flavo fuscam, paullum unguinosam, siccam fuscam, opacam, friabilem, cum acidis effervescentem, odoris peculiaris gravis.

Non solum ex Sibiria, sed etiam e Polonia, Dania, Germania folliculi adferuntur.

# Catechu.

***Terra Japonica. Cutsch, Pegu-Catechu.***

**Acacia Catechu *Willdenow.* Mimoseae *R. Brown.***
**XVI. 8. *L.***

Massae durae, obscure fuscae, concolores, nitidae, saporis adstringentis, saepe foliis involutae vel intermixtae.

Rejiciantur cubi pollicares, extus atrofusci, intus pallidiores, opaci, extractum Uncariae Gambir ***Roxburgh,*** item placentae lenticulares ab altera parte oryzae paleis inspersae, extractum seminis Arecae Catechu ***L.***

# Ceratum Cetacei.

***Emplastrum Spermatis Ceti.***

***R.*** **Cerae albae,**
**Cetacei,**
**Olei Amygdalarum,** singulorum **partes aequales.**

Liquefacta in cistulas papyraceas effundantur; refrigerata dissecentur.

Sit album nec rancidum.

# Cetaceum.

## Walrath.

**Physeter macrocephalus *L.* Mammalia, Cetacea.**

## Charta resinosa.

***Charta antirrheumatica seu antarthritica.***

Charta pice navali tenuissime inducta.

## Chinioideum.
### Chinioidin.

Sit coloris fusci, saporis valde amari, in aqua ex parte tantum, in spiritu vini rectificatissimo facile, in acidis dilutis plane solubile, in aëre ignitum residui nihil relinquens.

## Chinium sulphuricum.
### Schwefelsaures Chinin.

***Sulphas chinicus.***

Crystalli parvae, tenues, coloris expertes, prismaticae, in aquae frigidae partibus fere octingentis, in aquae ebullientis partibus triginta, in spiritus vini rectificatissimi partibus sexaginta, in aethere vero difficillime solubiles, saporis valde amari. In aëre ignitae residui nihil relinquant.

## Chloroformium.
### Chloroform.

***Formylum chloratum.***

Sit limpidum, coloris expers, ponderis specifici = 1,492 usque ad 1,496. Conquassatum cum partibus aequa-

libus acidi sulphurici hocce non tingat. Sit ab acido hydrochlorato liberum et plane avolans.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

## Chlorum solutum.

*Liquor Chlori. Aqua oxymuriatica. Aqua Chlori.*

Cucurbita **Mangani hyperoxydati nativi** frustis, quae sint fructuum coryli avellanae magnitudine, impleatur, tum **Acidi hydrochlorati crudi** tantum infundatur, quantum replet dimidiam partem cucurbitae, quae, quo modo in ammoniaco caustico soluto parando diximus, claudatur. Deinde lagenas duas ad dimidiam partem usque **Aqua destillata** impleas. Cucurbita in balneo aquae collocata chlorum in alterius lagenae aquam inducatur. Simul atque tantum chlori erit elicitum, ut hujus lagenae dimidia pars superior gase e subflavo viridi repleta sit, lagena cum altera lagena commutetur. Priore clausa gas cum aqua conquassetur. Quum alterius quoque lagenae dimidia pars superior gase erit repleta, haec iterum cum illa commutetur, eodemque, quo illa modo tractetur. Haec agendi ratio repetatur quam diu gas ab aqua absorbetur. Quod si fieri desierit, liquor in cucurbita relictus effundatur, manganum hyperoxydatum in eadem cucurbita aqua abluatur, quo facto cucurbita mangano repleta ad aliud chlorum solutum parandum uti licet.

Sit limpidum, e subflavo viride et chartam tinctura Lacmus imbutam statim decoloret.

Chlori soluti partes centum, quas admiscueris partibus quatuor ferro-ammoniaci sulphurici in aqua soluti kali hypermanganicum solutum ne amplius decolorent. Contineat igitur minimum 0,366 partes chlori in 100 partibus.

A luce arceatur et in lagenis parvis iisque semper plane repletis vitreisque obturamentis clausis servetur.

## Cinchonium sulphuricum.

### Schwefelsaures Cinchonin.

***Sulphas cinchonicus.***

Crystalli prismaticae, coloris expertes, in aquae partibus quinquaginta quatuor, in spiritus vini rectificatissimi partibus sex et dimidia solubiles, in aethere non solubiles, saporis valde amari.

In aëre ignitum residui nihil relinquat.

## Coffeïnum.

### Coffeïn.

Crystalli graciles, flexiles, coloris expertes, sericei nitoris, calore sensim aucto primum liquescentes, vehementius calefactae avolantes, ut residui nihil relinquant. In aquae frigidae partibus nonaginta tribus, in aqua fervida multo facilius solubiles sint.

Cum acido nitrico conjunctionem efficit in aqua facillime solubilem, quae e soluto acidulo commode in crystallos vertitur.

Sapore amaro.

## Collodium.

*R.* **Gossypii partem unam,** . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Acidi nitrici** ponderis specifici = **1**,420
**partes septem,** . . . . . . . . . . . . . . 7.
**Acidi sulphurici** ponderis specifici = **1**,833
**partes octo,** . . . . . . . . . . . . . . . . 8.

aut si Acidum nitricum illius ponderis praesto non est:

**Acidi nitrici** ponderis specifici = **1**,382
**usque ad 1**,390 **partes octo,** . . . . . . 8.
**Acidi sulphurici** ponderis specifici = **1**,833
**partes viginti.** . . . . . . . . . . . . . . . 20.

Acidum nitricum misceatur cum acido sulphurico, mixta usque ad aëris temperaturam refrigerentur, tum gossypium sic immittatur, ut acido omnino imbuatur; quocum per horas duodecim ad viginti quatuor seponatur. Deinde massam compactam exime, exemtam aqua destillata optime elue, exprime et sicca.

Hujus praeparati **pars una** cum **Aetheris partibus duodeviginti** et **Spiritus Vini rectificatissimi partibus tribus** commixtis conquassetur, deinde subsidat et solutum limpidum a sedimento defundatur.

Sit spissitudinis syrupi; servetur in vasis bene clausis.

## Conchae praeparatae.

Conchae aqua communi decoquantur; quo facto scopis setaceis mundatae et bene ablutae siccentur, tum pulveratae laevigentur.

# Cortex Cascarillae.
## Kaskarille.

***Cascarilla. Cortex Eluteriae.***

**Croton Eluteria, Cascarilla** et **Sloanei** ***Bennett*** et **Cr. lineare** ***Jacquin.*** **Euphorbiaceae** ***Juss.*** **XXI.** 8. ***L.***

Cortex durus, canaliculatus vel involutus, strato suberoso tenui, extus candicante, rimis decussatis sulcato, saepe jam partim delapso, cortice interiore extus pariter rimoso, crassiore, coloris ex rubenti fusci, fractura cornea, manducatus os urens, saporis amari, odoris aromatici. Rejiciantur ramuli intermixti.

# Cortex Chinae Calisayae.
## Königschina.

***Cortex Chinae regius. China regia Calisaya.***

**Cinchona Calisaya** ***Weddell.*** **Rubiaceae** ***Juss.*** **V. 1.** ***L.***

Liber trunci planiusculus, e rufo flavus, extus lacunis superficialibus magnis, leviter conchatis, argute marginatis vel saepe partimque rhytidomatis squamis duris instructus e stratis alternis obscurioribus et pallidioribus formatis, fractura aequaliter brevissime rigideque fibrata, superficie intima laevi, ob cellulas fibrosas exsertas micante.

Praeferatur cortex, quem dicunt Bolivianum, monopolio praeditum. Ne commutetur cum cortice utroque Chinae flavo neve rubiginoso neve Pitoyensi e Nova Granata advectis.

Contineat cortex chinae calisayae basium, quas dicunt, chinae partes minimum $3\frac{1}{2}$ in 100 partibus.

## **Cortex Chinae fuscus** seu **officinalis.**

### Braune oder graue Chinarinde.

***China fusca seu grisea. Cortex Peruvianus.***

**Cinchona micrantha *Ruiz* et *Pavon*,**
**Cinchona macrocalyx et Cinchona Uritusinga *Pavon*,**
**Cinchona Condaminea *Humboldt* et aliae species.**
**Rubiaceae *Juss.* V. 1. *L.***

Cortex ramorum lineam dimidiam fere crassus, in frustis convolutis a pennae anserinae ad digiti minoris crassitiem, strato medio circulo resinoso fere nigro, fractura extrorsum laevi, introrsum fibrata.

Praeferantur cortex de Huanoco dictus, coloris cinnamomei, superficie hinc inde alba, rimis longitudinalibus frequentibus, transversis paene nullis, et cortex, quem dicunt, de Loxa, coloris fusci, superficie cinerea, rimis transversis frequentibus, remotiusculis.

Deterioris conditionis sunt cortices superficie laevissima aut squamoso-rugosa, coloris hepatici aut extus nigricantis, circulo obscuro intracorticali deficiente.

## **Cortex Cinnamomi Cassiae.**

### Zimmtkassie.

***Cassia cinnamomea.***

**Cinnamomum Cassia *Fr. Nees* seu Cinnamomum aromaticum *Chr. Nees.* Laurineae *Juss.* IX. 1. *L.***

Cortex interior ramorum convolutus, tenuis, coloris e flavo fusci, fractura subaequabili, sparsim fibrosa, odoris peculiaris suavis, manducatus non mucilaginosus.

## Cortex Cinnamomi Zeylanici.

### Zimmt.

***Cinnamomum acutum.***

**Cinnamomum Zeylanicum *Breyn.* Laurineae *Juss.***
**IX. 1. *L.***

Cortex interior ramulorum pluries convolutus, tenuissimus, coloris pallidi ex fusco-rubri, fractura dense fibrosa, odoris fragrantis, peculiaris, grati, saporis dulcis, manducatus urens et paullum tantum adstringens.

## Cortex Frangulae.

### Faulbaumrinde.

***Cortex Rhamni Frangulae. Cortex Alni nigrae.***

**Rhamnus Frangula *L.* Rhamneae *R. Brown.***
**V. 1. *L.***

Cortex convolutus, vix ultra quadrantem lineae crassus, extus canus vel e cano fuscus, verrucis parvis, albis, saepissime transverse porrectis obsitus, serius subrimosus, strato suberoso tenuissimo, intus purpureo desquamante obtectus, intus ex fuscescente flavus, superficie intima laevigata, rufa, fractura fibrata, fibris citrinis.

# Cortex Fructus Aurantii.

## Pomeranzenschale.

*Cortex Pomorum Aurantii. Pericarpium Aurantii.*

**Citrus vulgaris *Risso.* Aurantiaceae *Juss.***

**XVIII. *L.***

Cortex fructus extus e flavo fuscus, glandulosus, intus spongiosus, albus, saporis amari, odoris suavis.

Ne commutetur cum pericarpio Citri Aurantii ***Risso*** coloris aurantiaci, odore quoque differente.

A strato interiore albo liberandus est.

# Cortex Fructus Citri.

## Citronenschale.

**Citrus Limonum *Risso.* Aurantiaceae *Juss.***

**XVIII. *L.***

# Cortex Mezerei.

## Seidelbastrinde.

**Daphne Mezereum *L.* Thymelaeae *Juss.***

**VIII. 1. *L.***

Cortex in fasciis elongatis, tenuibus, strato suberoso fuscescente, facile separabili, libro tenacissimo, flexili, subtiliter fibrato, bombycino, coloris alutacii, peracer.

Corticem Daphnes Laureolae ***L.***, libro viridi ab illo differentem item licet adhibere.

## Cortex Quercus.

### Eichenrinde.

**Quercus Robur *L.* et Quercus sessiliflora *Martyn.* Cupuliferae *Richard.* XXI. 8. *L.***

Cortex trunci junioris vel ramorum ne nimis vetustorum, extrinsecus fragilis, intrinsecus tenax, fasciatim fibratus, strato suberoso tenuissimo, separabili, coloris e cano argentei, cortice medio fusco, libro fuscescente vel flavescente, striato, postea in fascias tenues, angustas, flexibiles distracto; manducatus adstringens, saporis amari.

## Cortex Radicis Granati.

### Granatwurzelrinde.

**Punica Granatum *L.* Myrtaceae *Juss.* XII. 1. *L.***

Frusta canaliculata vel convoluta variae magnitudinis, vix ultra lineam crassa, extus verrucoso-exasperata, magis minusve rimosa, subflava, intus e subviridi flava, superficie intima pallide cinnamomea, laevia vel assulis tenuibus e flavescente albis adhaerentibus instructa, fractura aequabili, manducata adstringentia, saporis subamari.

## Crocus.

### Safran.

**Crocus sativus *L.* Irideae *Juss.* III. 1. *L.***

Stigmata siccata, pollicem unum vel unum et dimidium longa, tubulosa, subcanaliculato-complanata, antrorsum sensim incrassata, crenulata, aurantiaca, plerumque stylo

luteo brevissimo insidentia, odoris fragrantis peculiaris, saporis subdulcis.

Cave ab adulterato.

## Cuprum aceticum.

***Aerugo crystallisata. Flores Viridis aeris. Acetas cupricus cum Aqua.***

***Essigsaures Kupferoxyd. Krystallisirter Grünspan.***

**Caute** servetur.

## Cuprum aluminatum.

***Lapis divinus.***

| | | |
|---|---|---|
| *R.* | **Cupri sulphurici,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . | **16.** |
| | **Kali nitrici,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | **16.** |
| | **Aluminis,** singulorum **partes sedecim,** . . . . . | **16.** |
| | **Camphorae** tritae **partem unam.** . . . . . . . . . | **1.** |

Cuprum sulphuricum, kali nitricum et alumen contusa bene misceantur et leni calore in vase cupreo aut porcellanico liquefiant.

Liquefactis et ab igne remotis admisce camphoram, tum effunde.

Massam refrigeratam ex albo subviridem in frustula diffringe.

**Caute** servetur.

## Cuprum sulphuricum.

### Schwefelsaures Kupferoxyd.

***Cuprum sulphuricum purum. Vitriolum Cupri. Sulphas cupricus cum Aqua purus. Kupfer-Vitriol.***

A ferro sulphurico oxydulato et a zinco sulphurico oxydato sit liberum, in aquae frigidae partibus tribus

et dimidia, in aquae ebullientis aequalibus partibus solubile.

**Caute** servetur.

## Decoctum Sarsaparillae compositum fortius.

*Loco Decocti Zittmanni fortioris.*

*R.* **Radicis Sarsaparillae** concisae **partes centum**, . . . . . . . . . . . . . . . . . . 100.
**Aquae communis partes duo millia et sexcentas**, . . . . . . . . . . . . . . . . 2600.
**Sacchari albissimi** pulverati, . . . . . . . . . 6.
**Aluminis** pulverati, singulorum **partes sex**, . 6.
**Fructuum Anisi vulgaris**, . . . . . . . . . . . 4.
**Fructuum Foeniculi**, singulorum contusorum **partes quatuor**, . . . . . . . . . 4.
**Foliorum Sennae** concisorum **partes viginti quatuor**, . . . . . . . . . . . . . . . . . 24.
**Radicis Glycyrrhizae** concisae **partes duodecim**. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 12.

Radix sarsaparillae aqua infusa per horas viginti quatuor digeratur, tum saccharo et alumine additis liquor in vase tecto per horas tres in balneo vaporis saepe agitando calefiat. Sub finem coctionis fructus et anisi et foeniculi et folia sennae et radicem glycyrrhizae adde, cola et residuum exprime.

Liquor hoc modo paratus per aliquod tempus seponatur, deinde defundatur; sit partium duorum millium quingentarum.

## Decoctum Sarsaparillae compositum mitius.

*Loco Decocti Zittmanni mitioris.*

*R.* **Radicis Sarsaparillae** concisae **partes quinquaginta,** . . . . . . . . . . . . . . **50.**
**Aquae communis partes duo millia et sexcentas,** . . . . . . . . . . . . . . . . . **2600.**
**Corticis Fructus Citri,** . . . . . . . . . . . . . . **3.**
**Corticis Cinnamomi Cassiae,** . . . . . . . . . . **3.**
**Fructuum Cardamomi minorum,** . . . . . . . **3.**
**Radicis Glycyrrhizae,** singulorum concisorum et contusorum **partes tres.** . **3.**

Radix sarsaparillae cum speciebus ex decocto fortiore residuis mixta aqua infusa per horas tres in balneo vaporis saepius agitando in vase tecto calefiat. Sub finem coctionis corticem et fructus citri et cinnamomi cassiae, fructus cardamomi minores et radicem glycyrrhizae adde, cola et exprime.

Liquor hoc modo paratus aliquamdiu seponatur, deinde defundatur; sit partium duorum millium quingentarum.

## Decoctum Sarsaparillae concentratum.

*R.* **Radicis Sarsaparillae** concisae **partes viginti,** . **20.**
**Aquae communis partes octoginta,** . . . . . . . **80.**
**Aquae communis partes sexaginta,** . . . . . . . **60.**
**Spiritus Vini rectificati partem unam.** . . . . . **1.**

Radici sarsaparillae primam aquae copiam infunde, quacum per horas sex in balneo vaporis seponas, tum defunde; residuum cum altera aquae copia eodem modo tractatum fortiter exprime. Liquores commixti subsidant et antea filtrati in balneo vaporis ad **partes novem** evaporent. Refrigeratis spiritum vini adde.

Sit coloris e fusco nigri et paullum turbidum.

## Elaeosacchara.

*R.* **Sacchari albissimi** pulverati **partes triginta**, . 30.
**Olei aetherei** cujuslibet **partem unam**. . . . . 1.

Misceantur.

## Electuarium e Senna.

***Electuarium lenitivum.***

*R.* **Foliorum Sennae** pulveratorum **partes novem**, 9.
**Fructuum Coriandri** pulveratorum **partem unam**, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Syrupi simplicis partes quadraginta octo**, . . 48.
**Pulpae Tamarindorum depuratae partes sedecim**. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 16.

Foliis sennae et fructibus coriandri mixtis adde syrupum et pulpam tamarindorum. Leni calore in balneo vaporis paretur ex iis electuarium spissum, e viridi fuscum. Servetur loco frigido et sicco, ne corrumpatur.

# Elixir Aurantiorum compositum.

***Loco Elixirii visceralis Hoffmanni.***

*R.* **Corticis Fructus Aurantii** a parenchymate interno albo mundati et concisi partes sex, . . . . . . . . . . . . . . . 6.
**Corticis Cinnamomi Cassiae** contusi partes duas, 2.
**Kali carbonici puri** partem unam, . . . . . . . 1.
**Vini Xerensis** partes quadraginta octo, . . . . 48.
**Extracti Gentianae**, . . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Extracti Absinthii**, . . . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Extracti Trifolii**, . . . . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Extracti Cascarillae**, singulorum partem unam. 1.

Corticem fructus aurantii, corticem cinnamomi cassiae et kali carbonicum infuso vino macera per dies octo, tum exprime; in tinctura extracta supra dicta solve.

Postquam subsederint, filtra.

Sit limpidum, coloris fusci, odoris peculiaris aromatici, saporis amari.

In vasis bene clausis servetur.

# Elixir Proprietatis Paracelsi.

*R.* **Aloës**, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 2.
**Gummi-resinae Myrrhae**, singularum grosso modo pulveratarum partes duas, . . . 2.
**Croci** partem unam, . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Spiritus Vini rectificatissimi** partes viginti quatuor, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 24.
**Acidi sulphurici diluti** partes duas. . . . . . . . 2.

Aloae, gummi-resinae myrrhae et croco pulveratis infunde spiritum vini et acidum sulphuricum, macera per dies octo, deinde filtra.

Sit coloris e rubro fusci obscurioris et limpidum.

## Emplastrum adhaesivum.

*R.* **Emplastri Plumbi simplicis partes quatuor, . 4.**
**Resinae Pini Burgundicae partem unam. . . . 1.**

Liquefacta calefiant, donec spuma plane consumta massa olei instar tranquille fluat et colore obscure fusco imbuta appareat.

Sit nitens; vetustum recenti praeferendum.

## Emplastrum adhaesivum Anglicum.

*R.* **Gelatinae partes decem, . . . . . . . . . . . . . 10.**
**Spiritus Vini rectificatissimi partes quadraginta, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 40.**
**Syrupi simplicis partem unam. . . . . . . . . 1.**

Gelatina in tanta **Aquae** copia in balneo vaporis solvatur, ut soluta efficiant **partes centum viginti**; hujus liquoris adhuc calidi **partibus sexaginta** penicillo saepius inducatur tela bombycina, Taffent dicta, satis expansa, quae, **triginta grammatis** Gelatinae adhibitis, latitudinem pollicum sedecim, longitudinem pollicum quadraginta, superficiem igitur pollicum quadratorum sexcentorum quadraginta habeat. Quod inductum fuerit siccetur.

Gelatinae solutae **partibus sexaginta** residuae paullatim spiritus vini rectificatissimus et syrupus addantur, quibus admixtis tela bombycina eodem modo illinatur.

Tandem telae dorsum **Tincturae Benzoës** quantitate sufficiente inducatur et bene siccetur.

Madefactum cuti tenaciter adhaereat.

Loco sicco servetur.

## Emplastrum Ammoniaci.

***R.*** **Cerae flavae,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 4.
**Resinae Pini Burgundicae,** singularum
**partes quatuor,** . . . . . . . . . . . . . . . 4.
**Gummi - resinae Ammoniaci depuratae**
**partes sex,** . . . . . . . . . . . . . . . . . 6.
**Gummi-resinae Galbani depuratae partes**
**duas,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 2.
**Terebinthinae partes quatuor.** . . . . . . . . . 4.

Cerae et resinae pini burgundicae liquefactis, deinde per linteum colatis et semirefrigeratis gummi-resinae et ammoniacum et galbanum, in terebinthina in balneo vaporis jam antea solutae addantur.

In bacillos convolvatur.

Sit subviride.

# Emplastrum Cantharidum ordinarium.

*Emplastrum vesicatorium ordinarium.*

*R.* **Cantharidum** grosso modo pulveratarum
**partes duas,** . . . . . . . . . . . . . . . . **2.**
**Olei Olivarum communis partem unam,** . . . **1.**
**Cerae flavae partes quatuor,** . . . . . . . . . . **4.**
**Terebinthinae partem unam.** . . . . . . . . . . **1.**

Cantharides cum oleo olivarum mixtae per aliquot horas in balneo vaporis seponantur, in quo additis et cera flava et terebinthina cuncta liquefiant; refrigerata in bacillos convolvantur.

Sit emplastrum tactu pingue, molle, particulis viridibus nitentibus aequabiliter dispersis.

Loco sicco servetur.

# Emplastrum Cantharidum perpetuum.

*Emplastrum vesicatorium perpetuum.*

*R.* **Terebinthinae,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **6.**
**Resinae Mastiches** pulveratae, singularum
**partes sex,** . . . . . . . . . . . . . . . . **6.**
**Cantharidum** subtiliter pulveratarum **partes**
**duas,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **2.**
**Euphorbii** subtiliter pulverati **partem unam.** . . **1.**

Terebinthinae et resinae mastichae leni calore liquatis admisce cantharides et euphorbium.

Sit emplastrum e subviridi nigrum, durum, fragile.

## Emplastrum Cerussae.

*Emplastrum Plumbi hydrico-carbonici. Emplastrum album coctum.*

*R.* **Plumbi oxydati** subtilissime pulverati
**partem unam,** . . . . . . . . . . . . . . . **1.**
**Olei Olivarum communis partes quatuor et dimidiam,** . . . . . . . . . . . . . . . . **4½.**
**Plumbi hydrico-carbonici** subtiliter contriti **partes septem.** . . . . . . . . . . . **7.**

Plumbum oxydatum cum oleo olivarum coquatur sub agitatione continuata, instillando sensim et caute modicam **Aquae communis calidae** copiam, ne humor deficiat. Plumbo oxydato soluto plumbum hydrico-carbonicum addatur.

Coque iterum continuo agitando et quum ad 125° C. pervenerint, adde, si opus fuerit, in intervallis **Aquam communem calidam,** donec fiat emplastrum, quod refrigeratum in bacillos convolvatur.

Recens paratum sit album, tempore flavescens; plumbum hydrico-carbonicum plane subactum sit.

## Emplastrum de Galbano crocatum.

*R.* **Emplastri Plumbi simplicis partes viginti quatuor,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . **24.**
**Cerae flavae partes octo,** . . . . . . . . . . . **8.**
**Gummi-resinae Galbani partes viginti quatuor,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . **24.**
**Terebinthinae partes quatuor,** . . . . . . . . . **4.**
**Croci** subtiliter pulverati **partes tres.** . . . . . **3.**

Emplastrum plumbi et cera flava liquefiant et mixta semirefrigerentur, deinde gummi-resina galbanum in terebinthina in balneo vaporis soluta massae semirefrigeratae addatur, denique crocus, antea cum tanta **Spiritus Vini rectificatissimi** copia, ut pultem efficiat, contritus admisceatur.

Refrigeratum in bacillos convolvatur.

Sit coloris e subflavo fusci.

## Emplastrum Hydrargyri.

***Emplastrum mercuriale.***

*R.* **Hydrargyri depurati partes octo,** . . . . . . . 8.
**Terebinthinae partes quatuor,** . . . . . . . . . 4.
**Emplastri Plumbi simplicis partes viginti quatuor,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . 24.
**Cerae flavae partes sex.** . . . . . . . . . . . . 6.

Hydrargyrum cum terebinthina addita **Olei Terebinthinae** aliqua parte exactissime conteratur, deinde emplastrum plumbi cum cera liquatum sub perpetua agitatione sensim addatur.

Emplastrum refrigeratum in bacillos convolvatur.

Sit cinereum, oculo non armato globuli hydrargyri conspicui sint nulli.

## Emplastrum Mezerei cantharidatum.

*Loco Emplastri Drouotti.*

*R.* **Cantharidum** pulveratarum **partes sex**, . . . . 6.
**Corticis Mezerei** concisi **partes duas**, . . . . . 2.
**Aetheris acetici partes sedecim**, . . . . . . . . 16.
**Resinae Mastiches partem unam.** . . . . . . . 1.

Cantharidibus cum cortice mezerei in cucurbitam immissis affunde aetherem, macera per aliquot dies saepius agitando, tum filtra, quo facto resinam mastichen in liquore solve, quem penicillo **Emplastro adhaesivo Anglico** ita illinas, ut triginta cantharidum grammatis adhibitis tela pollices sedecim lata et viginti septem longa i. e. superficies pollicum quadratorum quadringentorum triginta duorum inducatur.

## Emplastrum Plumbi compositum.

*Emplastrum Lithargyri compositum. Emplastrum Diachylon compositum.*

*R.* **Emplastri Plumbi simplicis partes viginti quatuor**, . . . . . . . . . . . . . . . . . . 24.
**Cerae flavae partes tres**, . . . . . . . . . . . . 3.
**Gummi-resinae Ammoniaci depuratae**, . . . . 2.
**Gummi-resinae Galbani depuratae**, . . . . . . 2.
**Terebinthinae**, singularum **partes duas.** . . . 2.

Emplastro plumbi et cerae liquatis adde gummi-resinas et galbanum et ammoniacum antea in terebinthina in balneo vaporis solutas.

Refrigeratum in bacillos convolvatur.

Sit emplastrum e fusco flavum, tenax.

## Emplastrum Plumbi simplex.

*Emplastrum Lithargyri simplex. Emplastrum Diachylon simplex.*

*R.* **Plumbi oxydati** subtilissime pulverati et calefaciendo ab Acido carbonico liberati **partes quinque**, . . . . . . . . . 5.
**Olei Olivarum communis partes novem.** . . . 9.

Coque moderato igne, spathula semper agitando et pauxillum **Aquae communis calidae** subinde instillando, donec fiat emplastrum, quod refrigeratum in bacillos convolvatur.

Sit album, tenax, non unguinosum, plumbi oxydati non soluti nihil continens.

## Emplastrum saponatum.

*R.* **Emplastri Plumbi simplicis partes duodecim,** 12.
**Cerae flavae partes duas,** . . . . . . . . . . . 2.
**Saponis Hispanici** pulverati **partem unam.** . . 1.

Emplastro plumbi ceraeque in balneo vaporis liquatis sub perpetua agitatione sapo hispanicus addatur.

Emplastrum refrigeratum in bacillos convolvatur.

Sit tenax, albidum non lubricum.

## Euphorbium.

### Euphorbium.

**Euphorbia officinarum *L.* et aliae affines species.**
**Euphorbiaceae *Juss.* XXI. 1. (XI. 3.) *L.***

Frustula pisi magnitudine usque ad fructus coryli avellanae, multiformia, saepe perforata, sordide subflava, opaca, frigore friabilia, magnae acritudinis, pulvere sternutamentum vehementissimum excitante.

A ramulorum partibus saepe admixtis liberatum **caute** servetur.

## Extracta.

Ad extracta paranda aqua calcariae carbonicae quam minimam copiam continens adhibeatur.

Evaporent extracta sub perpetua agitatione in balneo vaporis, in quo aetherem et spiritum antea destillavisse licet.

Balneum vaporis ita sit instructum, ut liquores, qui in eo evaporent, aquae ebullientis calorem aequare non possint.

Extracta quod ad spissitudinem pertinet, in tribus gradibus paranda, haec sunt:

1. tenuiora, quae mellis recentis sunt densitate,
2. spissiora, quae refrigerata nequeunt effundi, sed spathula in fila distrahi possunt,

3. sicca, quae possunt conteri; parentur ita ut extracta ad spissiorum densitatem evaporent, deinde massae e vasis exemtae leni calore siccatae pulverentur.

Extractorum spissiorum narcoticorum copiam parvam cum **Radice Glycyrrhizae** pulverata mixtam ad pulveres mixtos parandos praesto esse licet. Qui ut conficiantur,

**Extracti partes quatuor** . . . . . . . . . . . . . . **4.**

et

**Radicis Glycyrrhizae** subtiliter pulveratae
**partes tres** . . . . . . . . . . . . . . . . . . **3.**

in patina porcellanica calefacta misceantur et temperatura 40 ad 50 ° C. siccentur, donec pondus non amplius diminuatur. Massa sicca adhuc calida conteratur eique radicis glycyrrhizae subtiliter pulveratae tantum addatur, ut extracti adhibiti copia duplicata sit. Hujus pulveris pensetur copia duplo major, quam quae extractorum ordinariorum a medico praescripta fuerit.

Extracta spissiora in vasis porcellanicis bene tectis, tenuiora et sicca, nec minus pulveres narcoticorum in vasis vitreis, obturamentis suberinis clausis, omnia vero extracta loco frigido et sicco serventur.

Habeant odorem et saporem plantarum, e quibus parata sunt.

Extracta, quae soluta liquorem limpidum non praebent, quum limpidum esse jussum sit, in aqua iterum solvantur, soluta filtrentur et denuo evaporent.

# Extractum Absinthii.

*R.* **Herbae Absinthii partes quatuor.** . . . . . . . . 4.

Herbae Absinthii minutim concisae et in vas idoneum immissae tantum **Aquae ebullientis** affundatur, ut puls efficiatur, quae per viginti quatuor horas loco frigido seponatur, interdum agitetur; tum liquor exprimatur. Residuo iterum **Aquae ebullientis** minorem copiam, quam antea affunde, ut iterum pultem efficias, quam duodecim horis post exprimas. Liquores obtenti defundantur, colentur et ad **duodecim partes** usque evaporent. Quo facto aliquamdiu sepositi et iterum defusi ad **extracti spissioris** densitatem evaporent.

Sit e fusco nigrum, in aqua colore fusco limpide solvatur.

# Extractum Aconiti.

*R.* **Tuberum Aconiti** grosso modo pulveratorum **partes duas,** . . . . . . . . . . . 2.
**Spiritus Vini rectificati partes quatuor,** . . . . 4.
**Spiritus Vini rectificati partes tres.** . . . . . . 3.

Tuberibus aconiti affunde spiritus vini priorem copiam, macera per dies octo saepius conquassando in vase clauso, tum liquorem exprime. Residuum affusa altera spiritus vini copia eadem ratione atque antea tracta. E tincturis et mixtis et filtratis leni calore **extractum spissius** paretur.

Sit coloris e flavo fusci, in aqua colore e flavo fusco turbide solubile.

**Caute** servetur.

## Extractum Aloës.

*R.* **Aloës** pulveratae **partem unam**, . . . . . . . . . 1.
**Aquae destillatae partes quatuor**. . . . . . . . . 4.

Aquam destillatam affunde aloae pulveratae et mixturam per horas quadraginta octo saepius agitando macera. Liquor subsidat, deinde colatus evaporet et in **extractum siccum** redigatur.

Sit pulvis e flavo fuscus, in aqua turbide solvatur.

## Extractum Belladonnae.

*R.* **Foliorum et Ramulorum recentium Belladonnae florescentis partes viginti**, . . 20.
**Aquae communis partes tres**, . . . . . . . . . . 3.
**Spiritus Vini rectificatissimi partes quatuor**, . 4.
**Spiritus Vini rectificati partem unam**. . . . . 1.

Folia et ramuli belladonnae in mortario lapideo contusa fortiter exprimantur, quod aqua affusa iterum fiat. Liquores commixti colentur et in balneo vaporis

ad **quatuor partes** usque evaporent. Quo facto spiritu vini rectificatissimo admixto per horas viginti quatuor seponantur et interdum conquassentur; deinde per linteum colentur. Residuum vehementer expressum cum spiritu vini rectificato conteratur ac denuo exprimatur. Liquores obtenti misceantur, filtrentur et ad **extracti spissioris** densitatem evaporent.

Sit obscure fuscum, in aqua colore fusco turbide solvatur.

**Caute** servetur.

## Extractum Cardui benedicti.

Paretur e **Foliis Cardui benedicti** eodem modo quo extractum **Absinthii.**

Sit coloris e fusco subviridis, in aqua eodem colore solubile.

## Extractum Cascarillae.

*R.* **Corticis Cascarillae** grosso modo pulverati
**partem unam,** . . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Aquae communis ebullientis partes quatuor,** . 4.
**Aquae communis ebullientis partes tres.** . . . 3.

Cortici cascarillae infunde aquae copiam priorem, stent per viginti quatuor horas, tum exprime. Residuo affunde alteram aquae copiam, macera et fac ut antea.

Liquores ita parati commisceantur, subsidant, defundantur et in vase porcellanico ad **spissioris extracti** densitatem evaporent.

Sit obscure fuscum, in aqua turbide solvatur.

## Extractum Chelidonii.

Paretur ex **Herba Chelidonii florescente** recenti uti extractum **Belladonnae.**

Sit obscure fuscum, in aqua colore fusco turbide solvatur.

## Extractum Chinae fuscae.

Paretur e **Cortice Chinae fusco** eodem modo quo extractum **Cascarillae**, nisi quod ad **extractum siccum** redigatur.

Sit pulvis fuscus, in aqua colore e subfusco albo turbide solubilis.

## Extractum Colocynthidis.

*R.* **Fructus Colocynthidis** a seminibus liberati
et grosso modo concisi **partes duas**, . 2.
**Spiritus Vini rectificati partes duodecim**, . . . 12.
**Spiritus Vini rectificati**, . . . . . . . . . . . . . 5.
**Aquae communis**, singulorum **partes quinque**. 5.

Fructui colocynthidis affunde spiritus vini copiam priorem, digere loco tepido per aliquot dies, interdum

agitando, tum vehementer exprime. Residuo affunde spiritus vini alteram copiam et aquam, digere saepe agitando per viginti quatuor horas et exprime.

Liquores obtenti et commixti defundantur, colentur; quo facto **extractum siccum** inde paretur.

Sit pulvis e flavo fuscus, in aqua turbide solvatur.

**Caute** servetur.

# Extractum Colombo.

***R.*** **Radicis Colombo** grosso modo pulveratae
**partem unam,** . . . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Spiritus Vini rectificati partes duas,** . . . . . . 2.
**Spiritus Vini rectificati,** . . . . . . . . . . . . . 1.
**Aquae communis,** singulorum **partem unam.** . 1.

Radici colombo priorem spiritus vini copiam affunde, digere loco calido per aliquot dies interdum conquassando, tum fortiter exprime.

Residuo spiritus vini alteram copiam et aquam affunde, digere interdum conquassando per viginti quatuor horas et exprime.

Liquores obtenti et commixti defundantur, colentur et evaporent; tum **extractum siccum** ex iis paretur.

Sit pulvis e flavo fuscus, in aqua turbide solubilis.

## Extractum Digitalis.

Paretur e **Foliis** et **Ramulis Digitalis florescentis** recentibus uti extractum **Belladonnae.**

Sit obscure fuscum, in aqua colore e fusco flavo, paullum turbide solvatur.

**Caute** servetur.

## Extractum Dulcamarae.

Paretur e **Stipitibus Dulcamarae** uti extractum **Absinthii.**

Sit coloris e fusco nigri, in aqua colore fusco limpide solubile.

## Extractum Ferri pomatum.

*R.* **Pomorum acidorum,** bene contritorum
**partes quadraginta octo,** . . . . . . . . 48.
**Ferri pulverati partem unam.** . . . . . . . . . . 1.

Pomis in pultem redactis admisceantur stramenta concisa, tum exprimantur; liquor subsidat et coletur; deinde in balneo vaporis cum ferri pulverati copia praescripta vel tanta, ut parva ejus pars non soluta remaneat, tam diu calefiat, quam diu ferrum solvatur. Liquori refrigerato **Aquae** addatur tantum, ut **quadraginta octo partes** efficiantur; quo facto filtretur et ad extracti **spissioris densitatem** evaporet.

Sit colore e viridi nigro, in aqua fere limpide solvatur.

Pro acidi copia in pomis ipsis contenta et ea, quae fermentatione orta erit, extractum ferri pomatum continet 7 usque ad 8 partes ferri in 100 partibus, non nunquam vero copiam multo minorem.

## Extractum Filicis aethereum.

*R.* **Rhizomatis Filicis** recens siccati, pulverati,
**partem unam,** . . . . . . . . . . . . . . . . **1.**
**Aetheris partes tres,** . . . . . . . . . . . . . . . **3.**
**Aetheris partes duas.** . . . . . . . . . . . . . . . **2.**

Rhizomati filicis infunde aetheris copiam priorem, in vase clauso interdum agitando macera per dies tres. Liquore defuso residuum exprime, aetheris alteram copiam ei infunde et fac ut antea. Liquores obtenti commisceantur, defundantur, filtrentur et destillatione aetheris ad **quartam partem** usque diminuti ad **extracti tenuioris** spissitudinem evaporent.

Sit coloris subviridis, in aqua non solubile.

In vasis bene clausis servetur.

## Extractum Gentianae.

Paretur e **Radice Gentianae** uti extractum **Absinthii** nisi quod aquae ebullientis loco aqua frigida adhibeatur.

Sit coloris fusci, in aqua colore fusco limpide solubile.

## Extractum Glycyrrhizae crudum.
### Roher Lakritzensaft.

***Succus Glycyrrhizae crudus. Succus Liquiritiae crudus.***

Extractum compactum, durum, in cylindri formam redactum, nigrum, fractura nitens; saepissime foliis lauri involutum, saporis peculiaris dulcis, in aqua relictis heterogeneis solubile.

## Extractum Glycyrrhizae depuratum.

***Succus Glycyrrhizae depuratus. Succus Liquiritiae depuratus.***

**Extractum Glycyrrhizae crudum** in dolio extractorio stratis altero alteri impositis, stramine interjecto maceretur per horas viginti quatuor cum **Aquae communis frigidae** ea quantitate, ut obtegatur. Deinde liquore per strophingem emisso maceratio eodem modo, quoties opus erit cum nova quantitate aquae reïteretur. Ex his liquoribus perfecte limpidis **extractum siccum** paretur.

Sit pulvis fuscus, in aëre facile humescens, a cupro liber.

## Extractum Gratiolae.

Paretur ex **Herba Gratiolae** recenti eodem modo, quo extractum **Belladonnae.**

Sit obscure fuscum, in aqua colore fusco turbide solvatur.

**Caute** servetur.

## Extractum Hellebori.

Eodem modo, quo ex **Radice Colombo** paretur extractum ex **Radice Hellebori viridis** praeterquam quod ad **extracti spissioris** densitatem evaporet.

Sit intense fuscum; in aqua turbide solubile.

## Extractum Hyoscyami.

E **Foliis** et **Ramulis recentibus Herbae Hyoscyami florescentis** paretur extractum uti extractum **Belladonnae.**

Sit coloris obscure fusci, subviridis, in aqua colore fusco turbide solubile.

**Caute** servetur.

## Extractum Ipecacuanhae.

***Emetinum coloratum.***

| | | |
|---|---|---|
| *R.* | **Radicis Ipecacuanhae** grosso modo pulveratae **partem unam**, . . . . . . . . . . | **1.** |
| | **Spiritus Vini rectificatissimi partes tres**, . . . | **3.** |
| | **Spiritus Vini rectificatissimi partes duas**, . . . | **2.** |
| | **Aquae destillatae partes quatuor**. . . . . . . . . | **4.** |

Radici ipecacuanhae grosso modo pulveratae infunde spiritus vini copiam priorem, macera per aliquot dies, tum residuum exprime. Cui affunde spiritus vini copiam alteram et fac ut antea. Liquores commixti ad densitatem extracti spissioris evaporent, ex quo in aqua destillata soluto, tum filtrato **extractum siccum** paretur.

Sit pulvis luteus, in aqua limpide solvatur.

**Caute** serva.

## Extractum Juniperi.

*Succus Juniperi inspissatus. **Roob** Juniperi.*

**Fructibus Juniperi recentibus** contusis affunde **Aquae communis fervidae quadruplum** et post refrigerationem modice exprime. Liquor subsidat, coletur et ad **extracti tenuioris** densitatem evaporet.

Sit fuscum, in aqua turbide solubile.

## Extractum Ligni Quassiae.

Paretur e **Ligno Quassiae** uti extractum **Cascarillae.**

Sit coloris fusci, crystallulis saepe immixtis, in aqua turbide colore fusco solvatur.

## Extractum Mezerei spirituosum.

*Extractum Mezerei aethereum.*

***R.*** **Corticis Mezerei** minutim concisi **partem unam**, 1.
**Spiritus Vini rectificatissimi partes quatuor**, . 4.
**Spiritus Vini rectificatissimi partes tres.** . . . 3.

Corticem mezerei affusis spiritus vini partibus quatuor, digere per aliquot dies interdum agitando, tum fortiter, exprime.

Residuo affusa spiritus vini copia altera operationem repete.

Liquores commixti et filtrati ad **extracti tenuioris** densitatem evaporent.

Sit subviride, in aqua non solubile.

**Caute** servetur.

# Extractum Opii.

*R.* **Opii** pulverati **partes quatuor**, . . . . . . . . . 4.
**Aquae destillatae partes sedecim**, . . . . . . . 16.
**Aquae destillatae partes duodecim.** . . . . . . 12.

Opio infunde aquae destillatae priorem copiam, per viginti quatuor horas saepe agitando macera, tum exprime et cola.

Residuo infunde aquae destillatae alteram copiam, macera per viginti quatuor horas, exprime et cola.

Liquores subsidant, filtrentur et in **extractum siccum** redigantur.

Sit pulvis e rubro fuscus, in aqua turbide solvatur.

**Caute** serva.

# Extractum Ratanhae.

*R.* **Radicis Ratanhae** grosso modo pulveratae
**partem unam**, . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Aquae communis partes quatuor**, . . . . . . . . 4.
**Aquae communis partes tres.** . . . . . . . . . . 3.

Radici ratanhae infunde aquae priorem copiam, infusum per viginti quatuor horas sepone, saepe agita, tum exprime.

Residuo infunde aquae copiam alteram, sepone iterum per viginti quatuor horas et exprime.

Liquores commixti subsidant, defundantur, in vase porcellanico evaporent et in **extractum siccum** redigantur.

Sit pulvis splendens, e nigro rufus, in aqua turbide solubilis.

## Extractum Rhei.

E **Radice Rhei** eodem modo quo extractum **Ratanhae** paretur.

Sit pulvis e fusco niger, in aqua colore e rufo fusco turbide solvatur.

## Extractum Rhei compositum.

***Loco Extracti catholici et panchymagogi.***

| | | |
|---|---|---|
| ***R.*** | **Extracti Rhei partes tres,** . . . . . . . . . . . . | 3. |
| | **Extracti Aloës partem unam,** . . . . . . . . . . | 1. |
| | **Aquae destillatae partes quatuor,** . . . . . . . | 4. |
| | **Saponis jalapini partem unam,** . . . . . . . . . | 1. |
| | **Spiritus Vini rectificati partes quatuor.** . . . . | 4. |

Extractis et rhei et aloës in aqua destillata leni calore emollitis adde saponem jalapinum in spiritu vini rectificato solutum. Mixta evaporent et in **extractum siccum** redigantur.

Sit pulvis coloris e nigricante fusci, in aqua colore e fusco flavo turbide solubilis.

## Extractum Sambuci.

***Succus Sambuci inspissatus. Roob Sambuci.***

**Fructus Sambuci maturi recentes** in lebete stanneo balneo vaporis exposito continuo agitando calefiant,

donec dirumpantur, tunc exprimantur. Succus expressus subsidat, deinde colatus ad **extracti spissioris** densitatem evaporet. Quo facto succi inspissati adhuc calentis

**partibus duodecim**, . . . . . . . . . . . . . . . . . **12.**

admisce

**Sacchari albissimi** pulverati **partem unam**. . . **1.**

Sit coloris e violaceo fusci, saporis e dulci aciduli, in aqua paullum modo turbide solvatur.

## Extractum Scillae.

Paretur e **Bulbo Scillae** uti extractum **Ratanhae.**

Sit pulvis subflavus, in aqua paullum turbide solubilis.

## Extractum Seminis Strychni aquosum.

***Extractum Nucum vomicarum aquosum.***

***R.*** **Seminis Strychni** grosso modo pulverati

**partem unam**, . . . . . . . . . . . . . . . **1.**

**Aquae ebullientis partes quatuor**, . . . . . . . **4.**

**Aquae ebullientis partes tres**. . . . . . . . . . . **3.**

Semini strychni affunde aquae ebullientis copiam priorem, mixta per viginti quatuor horas sepone, interdum agita, tum exprime.

Residuo affunde aquae ebullientis alteram copiam et fac ut antea.

Liquores commixtos subsidendo et defundendo limpidos factos in **extractum siccum** redige.

Sit pulvis e flavo fuscus, in aqua colore e subviridi albo turbide solubilis.

**Caute** serva.

## Extractum Seminis Strychni spirituosum.

***Extractum Nucum vomicarum spirituosum.***

***R.*** **Seminis Strychni** grosso modo pulverati
**partes duas,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . 2.
**Spiritus Vini rectificati partes quatuor,** . . . . 4.
**Spiritus Vini rectificati partes tres.** . . . . . . 3.

Semini strychni affunde spiritus vini priorem copiam, digere per quadraginta octo horas, vas subinde conquassando, tum decantato liquore residuum bene exprime. Huic affunde spiritus vini alteram copiam et fac ut antea.

E tincturis mixtis et filtratis paretur **extractum siccum.**

Sit pulvis fuscus, in aqua turbide solubilis, sapore peramaro.

**Caute** serva.

## Extractum Senegae.

Paretur e **Radice Senegae** uti extractum **Colombo.**

Sit pulvis e flavo fuscus, in aqua turbide solubilis.

## Extractum Taraxaci.

Paretur e **Radice Taraxaci recenti** cum **Herba** concisa uti extractum **Absinthii** praeterquam quod liquores extractione obtenti et colati non ad duodecim sed ad **tres partes** usque evaporent.

Sit e nigro fuscum, in aqua paene limpide solvatur.

## Extractum Trifolii.

Paretur e **Foliis Trifolii fibrini** uti extractum **Absinthii.**

Sit coloris e fusco nigri, in aqua colore fusco limpide solvatur.

## Fel Tauri.

Ochsengalle.

## Fel Tauri depuratum siccum.

*R.* **Fellis Tauri recentis,**
**Spiritus Vini rectificatissimi**, singulorum
**partes aequales.**

Misceantur exacte; mixta aliquamdiu seposita filtrentur; quo facto ex liquore spiritus vini in balneo vaporis destillet.

Residuo saepius agitando **Carbonis animalis humidi,** antea **Acido hydrochlorato depurati**, sensim tantum addatur, ut liquoris portiuncula exemta et filtrata coloris sit subflavi, tum filtretur et liquor in extractum siccum redigatur.

Sit pulvis e subflavo albus, eodem colore in aqua et spiritu vini rectificatissimo limpide solubilis, facile humescens, ignitus residuum relinquens exiguum album, quod reactionem alkalinam praebet.

Fellis Tauri recentis partes 100 Fellis depurati sicci 7 fere partes praebent.

In vasis bene clausis servetur.

## Ferro-Kali tartaricum.

***Globuli Tartari ferruginosi seu martiati pulverati.***

***R.*** **Ferri limati partem unam,** . . . . . . . . . . . **1.**
**Tartari crudi** pulverati **partes quatuor.** . . . . **4.**

Mixta in vase figulino **Aqua communi** addita in pultem redige, quam saepius agitando et aquae quantum evaporaverit, addendo tam diu digere, donec massa fiat homogenea nigra et particula ejus exemta in aqua maxima ex parte soluta hanc aquam e viridi nigram reddat. Tum massa loco tepido siccata pulveretur.

Sit pulvis crassus e griseo subviridis.

## Ferrum aceticum solutum.

***Liquor Ferri acetici.***

***R.*** **Ferri sulphurici puri partes quadraginta,** . . **40.**
**Acidi acetici diluti partes sexaginta quatuor. 64.**

Ferrum sulphuricum in oxydum redigatur, tum ferrum hydricum **Ammoniaco caustico soluto** praecipitetur quo

modo ad ferrum hydricum parandum praescriptum est; praecipitatum linteo immissum et **Aqua destillata** perbene elotum una cum linteo charta bibula involutum exprimatur. Haec operatio tam diu repetatur, donec ferri hydrici pondus sit **partium triginta** fere **duarum.** Deinde ferro hydrico in lagenam immisso infundatur acidum aceticum dilutum et conquassetur, donec ferri hydrici pars paene nulla non soluta remaneat. Quo facto liquor per linteum coletur et hoc ipsum ea aquae destillatae copia eluatur, ut liquor sit **partium centum.**

Sit coloris e rubro fusci, ponderis specifici = 1,134 usque ad 1,138, ferri partes 8 continens in 100 partibus.

In vase bene clauso servetur.

## Ferrum chloratum solutum.

***Liquor Ferri muriatici oxydulati. Liquor Chloreti ferrosi.***

***R.*** **Ferri in filis partes centum decem, . . . . . 110.**
**Acidi hydrochlorati partes quingentas viginti, 520.**
**Acidi hydrochlorati partem unam. . . . . . . 1.**

Acidi hydrochlorati partibus quingentis viginti in cucurbitam satis amplam infusis sensim immitte ferrum. Quum gasis evolutio fere cessaverit, cucurbita per aliquot horas stet in balneo vaporis, tum liquor a ferro non soluto filtratione accelerata separetur et acidi

hydrochlorati parte una addita tantum **Aquae** liquori admisceatur, ut pondus par sit 1000 partibus.

Ferrum chloratum solutum ferri continet partes 10 in 100 partibus; pondus specificum sit = 1,226 usque ad 1,230.

Sit limpidum, coloris subviridis.

In vasis bene clausis, non amplis servetur.

# Ferrum hydricum

***Ferrum oxydatum fuscum. Hydras ferricus.***
***Loco Ferri carbonici.***

***R.*** **Ferri sulphurici puri, . . . . . . . . . . . . . . . 16.**
**Aquae destillatae, singulorum partes sedecim, 16.**
**Acidi sulphurici puri partes tres, . . . . . . . 3.**
**Acidi nitrici partes sex, . . . . . . . . . . . . . 6.**
**Ammoniaci caustici soluti partes triginta duas, 32.**
**Aquae destillatae partes sexaginta quatuor. . 64.**

Acidum sulphuricum cum aquae destillatae copia priore misce, in his mixtis solve ferrum sulphuricum et liquori ebullienti acidi nitrici copiam praescriptam aut tantum adde, ut ferri oxydulati nihil supersit, quod factum esse eo cognoscitur, quod portiuncula exemta kali hypermanganicum solutum non amplius decolorat. Liquori adde aquae tantum, ut par sit **septuaginta quinque** partibus, tum eum sub perpetua agitatione affunde ammoniaco caustico soluto, antea cum aquae altera copia commixto. Praecipitato orto, liquori, si

reactionem alkalinam non praebuerit, paullum praeterea ammoniaci caustici soluti admisce. Praecipitatum in filtrum ingestum primum aqua communi, deinde aqua destillata elotum exprime et leni calore sicca.

Sit pulvis subtilissimus e rufo fuscus, acido hydrochlorato infuso fiat liquor ferri sesquichlorati limpidus, qui baryo chlorato soluto paullum modo turbetur.

In vase bene clauso servetur.

## Ferrum hydricum in Aqua.

**℞. Ferri sesquichlorati soluti partes triginta, . 30.**
**Aquae communis partes ducentas sexaginta tres, . . . . . . . . . . . . . . . 263.**
**Magnesiae ustae partes septem. . . . . . . . . 7.**

Dimidiae aquae parti in lagenam satis amplam infusae primum ferrum sesquichloratum, deinde magnesiam ustam cum altera aquae parte contritam adde, quo facto mixta et exactissime et continuo conquassa, donec puls aequabilis et tenuis formata sit.

Nonnisi ad dispensationem paretur.

## Ferrum oxydulatum lacticum.

Sit crystallinum, coloris albidi, in aëre constans, in aquae frigidae partibus quadraginta octo solubile.

## Ferrum pulveratum.

***Limatura Martis praeparata.***

Sit pulvis subtilissimus, cinereus, gravis, a cupro liber. Acido hydrochlorato affuso gasis hydrosulphurati nihil extricetur.

In vasis bene clausis servetur.

## Ferrum sesquichloratum solutum.

***Liquor Ferri sesquichlorati. Liquor Ferri muriatici oxydati. Liquor Chloreti ferrici.***

***R.*** **Ferri in filis partes sedecim, . . . . . . . . . 16.**
**Acidi hydrochlorati partes septuaginta octo cum dimidia. . . . . . . . . . . . . $78\frac{1}{2}$.**

Acido hydrochlorato in cucurbitam satis amplam infuso sensim immitte ferrum. Cucurbitam efficientia ferri propemodum perfecta in balneo vaporis per aliquot horas interdum conquassando sepone, tum liquorem a ferro non soluto filtro separa.

Liquori addatur tantum **Aquae destillatae** ut pondus totius sit **partium trecentarum**, deinde ex apparatu ad chlorum solutum parandum descripto **Chlorum** tam diu inducatur, donec ferrum chloratum plane mutatum fuerit in ferrum sesquichloratum, quod eo cognosci potest, quod ferri soluti portiuncula exemta kali hypermanganicum solutum non amplius decolorat.

Liquor demum in balneo vaporis evaporet, ut centum partes restent, tum ponderis specifici erit = 1,480 usque ad 1,484.

Ferri continet 15 partes in 100 partibus.

In vase obturamento vitreo claudendo servetur.

## Ferrum sulphuricum crudum.

*Ferrum sulphuricum venale. Vitriolum Martis.*
*Grüner Vitriol.*

## Ferrum sulphuricum purum.

*Vitriolum Martis purum.*
*Sulphas ferrosus cum Aqua purus.*

**R. Acidi sulphurici crudi partes sexaginta, . . . 60.**
**Aquae destillatae partes ducentas quadraginta, 240.**
**Ferri in filis partes quadraginta, . . . . . . . 40.**
**Acidi sulphurici puri partem unam. . . . . . . 1.**

In cucurbitam vitream aqua et in eam ita ut vertices oriantur perturbatam caute infundatur acidum sulphuricum crudum, tum ferrum immittatur. Quodsi efficientia temperatura consueta remissior appareat, cucurbita in balneo vaporis calefiat, donec vis illa evanuerit. A ferro remanente filtro separa soluta, quibus acidum sulphuricum purum adde et e liquore ferrum sulphuricum in crystallos redige, quas primum aqua, deinde spiritus vini parva copia ablutas, in aëre sicca. Sint crystalli

coloris laete caeruleo-viridis, in aquae frigidae minore copia quam duabus partibus, in aquae fervidae partibus aequalibus solubiles.

In vasis parvis bene obturatis serva.

## Flores Arnicae.
### Wohlverleihblüthen.

**Arnica montana *L.* Compositae *Adanson.***
**XIX. 2. *L.***

Flosculi vitellini, pappo piloso, scabro, fragili instructi, germine tuboque pubescentes, radii feminei ligulati, duas lineas lati, tridentati, disci hermaphroditi tubulosi. Dispensentur tantummodo flosculi a peranthodio liberati.

Sunt acres, pulvere sternutamentum excitante.

## Flores Chamomillae Romanae.
### Römische Kamillenblüthen.

**Anthemis nobilis *L.* Compositae *Adanson.***
**XIX. 2. *L.***

Anthodia radiata, cultura luxuriantia, peranthodio imbricato, receptaculo convexo, bracteolis obtusis laceris obsito, flosculis epapposis, disci tubulosis luteis, maxima ex parte in radii flosculos ligulatos albos mutatis, odoris peculiaris, fortis, saporis subamari.

# Flores Chamomillae vulgaris.
## Gemeine Kamillenblüthen.

**Matricaria Chamomilla *L.* Compositae *Adanson.* XIX. 2. *L.***

Anthodia radiata, peranthodio imbricato, receptaculo conico cavo nudo, flosculis epapposis, disci tubulosis luteis, radii ligulatis albis, odoris proprii gravis, saporis subamari. Ne confundantur cum floribus **Pyrethri inodori *Smith*** neve cum floribus **Anthemidum Cotulae *L.*** et **arvensis *L.***

# Flores Cinae.
## Zittwerblüthen.

***Semen Cinae Halepense vel Levanticum. Semen Santonici. Zittwersamen. Wurmsamen.***

**Artemisiae species e sectione Seriphidii huc usque ignota. Compositae *Adanson.* XIX. 2. *L.***

Anthodia pauciflora clausa, oblonga, prismatica, glabra, coloris e subviridi luteoli vel subfusci, ad lineam longa, peranthodii squamis imbricatis carinatis, membranaceo-marginatis, dorso glandulis minutis aureis inspersis, exterioribus minutis ovatis, interioribus oblongis, odoris proprii nauseoso-camphoracei, saporis amari.

Rejiciantur flores Cinae Indici et Barbarici, quorum hi tomento cinereo, illi magnitudine et glandulis majoribus ab officinalibus floribus differunt.

## Flores Kusso.

### Kussoblüthen.

**Hagenia Abyssinica *Willdenow*.**
**Brayera anthelminthica *Kunth*. Rosaceae *Lindley*.**
**XI. 2. *L*.**

Paniculae femineae densissimae, ramosissimae, villosae, multiflorae, floribus bibracteatis, perigynis, plus minusve defloratis, bracteis subrotundis sepalisque exterioribus quatuor vel quinque oblongis, sex fere lineas longis, membranaceis, reticulatis, rubentibus vel subviridibus, saporis nauseoso-subamari.

Rejiciantur pedunculi crassiores.

## Flores Lavandulae.

### Lavendelblüthen.

**Lavandula officinalis *Chaix*. Labiatae *Juss*. XIV. 1. *L*.**

Flores caerulei, calyce cylindrico, villoso, quinquedentato, dente summo majore, corolla bilabiata, odore aromatico fragrantes.

## Flores Sambuci.

### Fliederblüthen. Hollunderblüthen.

**Sambucus nigra *L*. Caprifoliaceae *Juss*. V. 3. *L*.**

Cymae quinqueradiatae, multiflorae, corollis epigynis, rotatis, ex albo luteolis; odore peculiari. Colligendi flores tempestate sicca.

## Flores Verbasci.
### Königskerzenblumen. Wollkrautblumen.

**Verbascum thapsiforme *Schrader* et phlomoides *L*.**
**Scrophularinae *R. Brown*. V. 1. *L*.**

Corollae majusculae, rotatae, subregulares, aureae, staminibus tribus superioribus brevioribus, albo-lanatis, inferioribus duobus longioribus, glabris, mucilaginosae, odoris peculiaris. Colligendae sine calycibus tempestate sicca, siccatae in vasis antea calefactis et bene obturandis servandae.

## Folia Aurantii.
### Pomeranzenblätter.

**Citrus vulgaris *Risso*. Aurantiaceae *Juss*. XVIII. *L*.**

Folia oblonga, acuta, glaberrima, pellucide punctata, petiolo articulato, latiuscule alato, odoris aromatici, saporis amari, fricta fragrantia. Colligenda aestate. Differunt a foliis Citri, quibus ala petioli angustissima vel nulla est.

## Folia Belladonnae.
### Tollkirschenblätter. Belladonnablätter.

**Atropa Belladonna *L*. Solanaceae *Bartling*. V. 1. *L*.**

Folia ovalia, in petiolum attenuata, integerrima, acuta, superne saturate viridia, juniora pubescentia, adulta nervis tantum subpubescentia. Colligenda e planta spontanea florescente.

**Caute** servanda.

## Folia Cardui benedicti.
### Kardobenediktenblätter.

**Cnicus benedictus *L.* Compositae *Adanson.***
**XIX. 3. *L.***

Folia oblonge lanceolata vel lanceolata, in petiolum decurrentia, sinuato-pinnatifida, spinuloso-denticulata, villosa, saporis peramari. Plantam cultam adhibere licet.

## Folia Digitalis.
### Fingerhutblätter.

**Digitalis purpurea *L.* Scrophularinae *R. Brown.***
**XIV. 2. *L.***

Folia oblonga, in petiolum attenuata, rugosa, acute crenata, subtus praesertim magis minusve tomentosa, saporis amari. Colligenda folia e plantis spontaneis florescentibus; e cultis ne colligantur. Siccentur in umbra. In vasis a luce remotis, neve ultra annum sed **caute** serventur.

## Folia Farfarae.
### Huflattichblätter.

**Tussilago Farfara *L.* Compositae *Adanson.***
**XIX. 2. *L.***

Folia subrotundo-cordata, sinuato-angulata, dentata, subtus albide tomentosa, saporis subamari. Colligenda mense Majo.

## Folia Hyoscyami.
Bilsenkrautblätter.

**Hyoscyamus niger** ***L.*** **Solanaceae** ***Bartling.*** **V. 1.** ***L.***

Folia ovato-oblonga, sinuato-dentata, villosa, odoris nauseosi, narcotici. Colligantur quum planta florescit. **Caute** neve ultra annum serventur.

## Folia Melissae citratae.
Citronenmelissenblätter.

***Folia Melissae. Melissenblätter.***

**Melissa officinalis** ***L.*** *α* **citrata** ***Bischoff.***
**Labiatae** ***Juss.*** **XIV. 1.** ***L.***

Folia ovata vel subcordata, crenato-serrata, magis minusve hirta, subtus pallidiora, glandulosa, odoris aromatici, saporis subamari. Colligantur quum planta saepe culta florescit, ne confundantur cum foliis subtus cano-tomentosis **Nepetae Catariae** ***L.*** var. **citriodorae.**

## Folia Menthae crispae.
Krauseminzblätter.

**Mentha crispa** ***L.*** et **crispata** ***Schrader.***
**Labiatae** ***Juss.*** **XIV. 1.** ***L.***

Folia subsessilia, cordata vel ovata, bullato-rugosa, undulata, lacero-dentata, obtusa vel acuta, villosa vel glabra, subtus glandulosa, odoris peculiaris. Colligenda quum planta culta florescit.

## Folia Menthae piperitae.
### Pfefferminzblätter.

**Mentha piperita** ***L.*** **Labiatae** ***Juss.*** **XIV. 1.** ***L.***

Folia longius petiolata, oblonga, acuta, argute serrata, glabriuscula, glandulosa, fragrantia, saporis peculiaris aromatici, os primum urentia, tum frigoris sensum excitantia. Colligenda folia quum planta culta florescit.

Rejiciantur folia **Menthae viridis** ***L.***, quae sunt sessilia et minus efficacia.

## Folia Millefolii.
### Schafgarbenblätter.

**Achillea Millefolium** ***L.*** **Compositae** ***Adanson.*** **XIX. 2.** ***L.***

Folia in ambitu lanceolata, bipinnatifida, petiolo nervisque subtus villosis, laciniis brevissimis, lanceolatis, acuminatis, mucronatis, subtus glandulosis, saporis amari.

## Folia Nicotianae Tabaci.
### Tabaksblätter.

**Nicotiana Tabacum** ***L.*** **Solanaceae** ***Bartling.*** **V. 1.** ***L.***

Folia siccata, fusca, oblongo-lanceolata, acuta, basi attenuata, integerrima, glanduloso-pubescentia, odoris peculiaris, manducata acria. Adhibeantur folia, quae vulgo Virginiana vocantur.

## Folia Rosmarini.
### Rosmarinblätter.

**Rosmarinus officinalis** ***L.*** **Labiatae** ***Juss.*** **II. 1.** ***L.***

Folia rigida, linearia, rugosa, glandulosa, margine revoluto, subtus albo-tomentosa, odoris aromatici.

## Folia Salviae.
### Salveiblätter.

**Salvia officinalis** ***L.*** **Labiatae** ***Juss.*** **II. 1.** ***L.***

Folia petiolata, oblonga, rugosa, crenulata, tenuiter tomentosa, odoris aromatici, saporis amari, manducata adstringentia. Colligenda antequam planta culta florescit.

## Folia Sennae.
### Sennesblätter.

***Alexandriner*** *oder* ***Tripolitaner Sennesblätter.***

**Cassia lenitiva** ***Bischoff.***
**Caesalpiniaceae** ***De Candolle.*** **X. 1.** ***L.***

Foliola subcoriacea, ovalia vel oblonga, integerrima, basi obliqua, medio latiora, acuta, mucronulata, venosa, magis minusve pubescentia, pallide e glaucescente viridia, odoris peculiaris, saporis nauseoso-subamari. Saepissime mixta reperiuntur cum foliis rigidis, lanceolatis, basi aequalibus, uninerviis, glaucescentibus, pubescentibus **Solenostemmatis Argel** ***Hayne.***

Rejiciantur petioli foliorum et legumina intermixta.

Nec Sennam Indicam, foliola elongate lanceolata et acutata, basi latiora **Cassiae acutifoliae** ***Delile***, nec Sennam Halepensem vel Italicam, foliola obovata **Cassiae obovatae** ***Colladon***, adhibere licet.

## Folia Sennae Spiritu Vini extracta.

**Folia Sennae** in **Spiritus Vini rectificatissimi partibus quatuor** per **biduum** macerentur, tum exprimantur et siccentur.

## Folia Stramonii.
### Stechapfelblätter.

**Datura Stramonium** ***L.*** **Solanaceae** ***Bartling.***
**V. 1.** ***L.***

Folia petiolata, ovata, acuta, sinuato-dentata, juniora puberula, adulta in nervis tantum pilosiuscula, superne saturate viridia, subtus pallidiora, odoris narcotici, saporis nauseosi, amari. Colligenda quum planta florescit et **caute** nec ultra annum servanda.

## Folia Trifolii fibrini.
### Dreiblatt.

***Folia Trifolii aquatici.***
***Biberkleeblätter, Bitterkleeblätter, Fieberkleeblätter.***

**Menyanthes trifoliata** ***L.*** **Gentianeae** ***Juss.*** **V. 1.** ***L.***

Folia petiolata ternata, foliolis subsessilibus, ovalibus vel oblongis, obtusis, leviter repandis, crenatis, glabris, laete viridibus, saporis peramari. Colligenda mensibus Majo et Junio.

## Folia Uvae Ursi.
Bärentraubenblätter.

**Arctostaphylos Uva Ursi** ***Sprengel.*** **Ericaceae** ***R. Brown.*** **X. 1.** ***L.***

Folia obovata, coriacea, integerrima, glabra, nitida, reticulato-venosa, saporis subamari, manducata adstringentia. Colligenda aestate. Ne commutentur cum foliis margine reflexis, subtus opacis, venosis, fusco-punctatis **Vaccinii Vitis Idaeae** ***L.***

## Fructus Anisi stellati.
Sternanis.

***Semen Anisi stellati.***

**Illicium anisatum** ***Loureiro.*** **Wintereae** ***Lindley.*** **XIII. 4.** ***L.***

Carpella drupacea, plerumque octo, stellato-divaricata, cymbaeformia, compressa, extus e griseo fusca, rugosa, intus laevigata, unilocularia, margine superiore dehiscentia, monosperma, semine compresso, nitido, badio, odoris aromatici, saporis subdulcis, manducata linguam paullum urentia.

## Fructus Anisi vulgaris.
Anisfrüchte.

***Semen Anisi vulgaris. Anissamen.***

**Pimpinella Anisum** ***L.*** **Umbelliferae** ***Juss.*** **V. 2.** ***L.***

Fructus late ovati, a latere parum compressi, dense puberuli, coloris e griseo subviridis, lineam longi,

mericarpiis duobus plerumque cohaerentibus, anguste quinque costatis, odoris aromatici, saporis subdulcis, manducati linguam paullum urentes.

## Fructus Aurantii immaturi.
### Unreife Pomeranzen.
***Poma Aurantii immatura.***

**Citrus vulgaris *Risso.* Aurantiaceae *Juss.* XVIII. *L.***

Fructus immaturi siccati, globosi, glandulosi, multiloculares, ad magnitudinem cerasorum usque electi, coloris obscure viridis, odoris aromatici, saporis amari.

## Fructus Cannabis.
### Hanfkörner.
***Semen Cannabis. Hanfsamen.***

**Cannabis sativa *L.* Urticaceae *Juss.* XXII. 5. *L.***

Rejiciantur vetusti, saporis rancidi.

## Fructus Capsici.
### Spanischer Pfeffer.
***Piper Hispanicum vel Indicum.***

**Capsicum annuum et Capsicum longum *Fingerhuth.* Solanaceae *Bartling.* V. 1. *L.***

Baccae exsuccae, conicae, plerumque rubrae, nitidae, calyce planiusculo suffultae, intus cavae, incomplete bi- vel triloculares, pericarpio tenui coriaceo, seminibus planis luteolis, sporophoro magno affixis, os acriter urentes.

## Fructus Cardamomi minores.
### Kleine Kardamomenfrüchte.

***Cardamomum minus** seu **Malabaricum.***
***Kleine** oder **Malabarische Kardamomen.***

**Elettaria Cardamomum *White* et *Maton*.**
**Scitamineae *R. Brown*. I. 1. *L*.**

Capsulae chartaceae, trigonae, striatae, quinque vel sex lineas longae, straminei coloris, triloculares, pleiospermae, seminibus parvis, duriusculis, fuscis, obtusangulis, rugosis, hinc sulco instructis, odoris intense aromatici.

## Fructus Carvi.
### Kümmelfrüchte.

***Semen Carvi. Kümmelsamen.***

**Carum Carvi *L*. Umbelliferae *Juss*. V. 2. *L*.**

Fructus oblongi, a latere valde compressi, duas fere lineas longi, mericarpiis facile separabilibus, angustis, utrinque attenuatis, quinquecostatis, costis angustis, albidis, sulcis latis, fuscis, univittatis, odoris peculiaris.

## Fructus Colocynthidis.

### Koloquinte.

*Colocynthis. Poma Colocynthidis. Alhandal.*

**Citrullus Colocynthis** *Arnott* seu **Cucumis Colocynthis** *L.*
**Cucurbitaceae** *Juss.* **XXI.** 8. *L.*

Fructus globosi, mali magnitudine, siccati, decorticati, carne levi, spongiosa, albida, amarissima instructi. Praeferantur fructus majores, multum carnis, seminum vero minorem copiam continentes; adhibeantur a seminibus liberati.

**Caute** serventur.

## Fructus Coriandri.

### Korianderfrüchte.

*Semen Coriandri. Koriandersamen.*

**Coriandrum sativum** *L.* **Umbelliferae** *Juss.*
**V.** 2. *L.*

Fructus globosi, calyce coronati, lineam fere et dimidiam longi, coloris e fusco-subflavi, intus excavati, mericarpiis plerumque cohaerentibus, dorso multistriatis, saporis subdulcis, odoris peculiaris.

## Fructus Cubebae.
### Kubeben.
***Cubebae.***

**Cubeba officinalis *Miquel.* Piperaceae *Richard.* XXII. 2. *L.***

Drupae siccatae, duriusculae, subglobosae, monospermae, basi attenuata stipitiformi quam fructus longiore, reticulatim rugosae, coloris e cinereo obscure fusci, piperis nigri magnitudine, odore fragranti, manducatae urentes.

## Fructus Foeniculi.
### Fenchelfrüchte.
***Semen Foeniculi. Fenchelsamen.***

**Foeniculum officinale *Allione.* Umbelliferae *Juss.* V. 2. *L.***

Fructus oblongi, teretiusculi, coloris subfusci vel subviridis, ad lineas duas et dimidiam longi, mericarpiis duobus plerumque discretis, quinquecostatis, costis carinatis, pallidioribus, sulcis latis, obscurioribus, odoris peculiaris, saporis subdulcis, manducati linguam paullum urentes.

## Fructus Juniperi.
### Wachholderbeeren.
***Baccae Juniperi.***

**Juniperus communis *L.* Coniferae *Juss.* XXII. 13. *L.***

Rejiciantur fructus immaturi, grisei vel rufi.

# Fructus Phellandrii.
## Wasserfenchelfrüchte.

***Semen Phellandrii. Fructus vel Semen Foeniculi aquatici. Wasserfenchelsamen.***

**Oenanthe Phellandrium** ***Lamarck.*** **Umbelliferae** ***Juss.***
**V. 2.** ***L.***

Fructus oblongi, subteretes, sursum paullum angustati, calyce coronati, obtuse costati, anguste sulcati, fusci, ad duas lineas longi, mericarpiis plerumque cohaerentibus, saporis subamari, odoris peculiaris.

Cave ne fructus **Cicutae virosae** ***L.*** neve **Sii latifolii** ***L.*** immixti sint, qui forma subglobosa aut ovata et colore subviridi ab iis differunt.

# Fructus Rhamni catharticae.
## Kreuzdornfrüchte.

***Baccae Spinae cervinae. Kreuzdornbeeren.***

**Rhamnus cathartica** ***L.*** **Rhamneae** ***R. Brown.***
**V. 1.** ***L.***

Drupae recentes maturae, globosae, quatuor linearum diametro, disco orbiculari suffultae, nigrae, succo e violaceo viridi repletae et pyrenis cartilagineis, obtuse triangularibus, obscuris, saepissime quaternis, quae in **Rhamno Frangula** ***L.*** binae vel ternae tantum, compressae et pallide subfuscae sunt.

# Fructus Vanillae.

## Vanille.

*Vanilla.*

**Vanilla planifolia** ***Andrews.*** **Orchideae** ***Juss.***
**XX. 1.** ***L.***

Capsulae non plane maturae, subcarnosae, compressae, sex ad novem pollices longae, duas ad quatuor lineas latae, striatae, coloris fusci, crystallulis saepe inspersae, pulpa farctae granulosa, saporis suavissimi et odoris Balsamo Peruviano similis, e seminibus simulata innumerabilibus, minutissimis, atris, strato tenuissimo balsamico obtectis et conglutinatis.

# Gallae.

## Galläpfel.

***Gallae Halepenses. Aleppische Galläpfel.***

Excrescentiae ictu **Cynipis Gallae tinctoriae** ***Olivier*** in gemmis **Quercus infectoriae** ***Olivier*** et aliarum affinium specierum ortae, subglobosae, verrucoso-echinatae, saepe foramine praeditae, ponderosae, durae, coloris e subviridi cinerei vel obscurioris vel pallidioris, manducatae adstringentes.

# Gelatina.

## Weisser Leim.

Sit et coloris et odoris paene expers.

# Glandulae Lupuli.
## Hopfendrüsen.
***Lupulinum. Hopfenmehl.***

**Humulus Lupulus *L.* Urticaceae *Juss.* XXII. 5. *L.***

Pulvis aureus, deinde aurantiacus, e glandulis minutis, brevissime stipitatis subreniformibus constans, odoris peculiaris, saporis amari. Glandulae a strobilis lupuli recens siccatis ope cribri setacei separandae nec ultra annum servandae sunt.

# Glycerinum.
## Glycerin.

Liquor spissus, limpidus, coloris et odoris expers, ponderis specifici = 1,23, saporis dulcis, in aquae et spiritus vini rectificatissimi quantacunque copia solubilis.

Sit a calcaria et a plumbo oxydato liberum, in aëre ignitum residuum nonnisi valde exiguum relinquens.

# Gummi Arabicum.
## Arabisches Gummi.
***Gummi Mimosae. Mimosengummi.***

**Acacia Seyal *Delile* et Ehrenbergiana et tortilis *Hayne*, Mimoseae *R. Brown.* XXIII. 1. aut XVI. 5. *L.***

Frusta magis minusve globosa, sine colore vel subflavescentia, subnitida, diaphana, diffracta in frustula parva, angulata pellucida, vitreo splendore nitentia, fractura conchulata dissilientia, saporis et odoris nullius. Cum partibus sex vel octo aquae solutum fluidum praebeat.

## Gummi-resina Ammoniacum.
Persisches Ammoniakgummiharz.

*Ammoniacum. Gummi Ammoniacum.*

**Dorema Ammoniacum** ***Don.*** **Umbelliferae** ***Juss.***
**V. 2.** ***L.***

Grana saepe inter se conglutinata vel massae subfuscae intermixta, extus e flavo subfusca, fractura leviter conchata, lactea, pinguiter nitida, frigore duriuscula, calore mollescentia, saporis amari, nauseosi, odoris gravis.

Ad parandam **Gummi-resinam Ammoniacum depuratam** gummi-resina electa tempestati gelidae exposita terendo redigatur in pulverem, ab adhaerentibus quisquiliis ope cribri separandum.

Charta involuta loco frigido servetur.

## Gummi-resina Asa foetida.
Stinkasant.

*Asa foetida. Teufelsdreck.*

**Scorodosma foetidum** ***Bunge.*** **Umbelliferae** ***Juss.***
**V. 2.** ***L.***

Grana saepe inter se conglutinata vel massae subfuscae intermixta, extus e roseo subfusca, fractura recenti leviter conchata, pinguiter nitida, lactea, paullatim purpurascentia, frigore duriuscula, calore mollescentia, nidoris alliacei, saporis subamari.

**Gummi-resina Asa foetida depurata** e gummi-resina electa eodem modo et paretur et servetur, quo **Gummi-resina Ammoniacum depurata.**

# Gummi-resina Galbanum.

## Mutterharz.

***Galbanum. Gummi Galbanum.***

**Galbanum officinale *Don* et Ferula erubescens *Boissier*.**
**Umbelliferae *Juss*. V. 2. *L*.**

Massae e subviridi et subfusco luteolae, manus calore emolliendae, aestate facile diffluentes, frigore fragiles, paullum splendentes, granis vel frustulis saepe intermixtis, coloris albidi, vel luteoli, saporis amari, odoris gravis subnauseosi.

Grana sicca, subflava, intus albida, olei aetherei minorem copiam continent, quapropter praeferenda non sunt.

**Gummi-resina Galbanum depurata** e gummi-resina Galbano paretur eodem modo, quo **Gummi-resina Ammoniacum depurata.**

# Gummi-resina Gutti.

## Siam-Gutti.

***Gutti. Gummi Guttae. Gummigutt.***

**Arbor ignota Siamensis ex ordine Guttiferarum.**

Frusta compacta, fragilia, circa angulos paullum diaphana, fractura conchata, cerae instar nitentia, coloris aurantiaci, trita citrini, madefacta lacte flavi, inodora, manducata initio sapore vix ullo, demum subdulci, os urentia.

**Caute serva.**

# Gummi-resina Myrrha.

## Myrrhe.

***Myrrha.***

**Balsamodendron Ehrenbergianum** ***Berg***, fortasse et **Balsamodendron Myrrha** ***Nees.*** **Burseraceae** ***Kunth.*** **VIII. 1.** ***L.***

Frusta vel grana friabilia, diaphana, e rubro fusca, pinguiter nitida, saporis amari, odoris peculiaris. Pro majore parte in aqua solutione flavo-fusca, turbida, pro minore parte in spiritu vini rectificatissimo solvitur solutione flavo-fusca, limpida, adjecto acido nitrico violacea.

Rejiciantur gummi-resinae Bdellii frusta saepe admixta coloris obscurioris, odoris diversi, gravioris, quae in spiritu vini rectificatissimo soluta acido nitrico addito colorem violaceum non induunt.

# Gummi-resina Olibanum.

## Weihrauch.

***Olibanum. Thus.***

**Boswellia serrata** ***Colebrooke*** et **papyrifera** ***Hochstetter.*** **Burseraceae** ***Kunth.*** **X. 1.** ***L.***

Grana oblonga vel subglobosa, laevigata, coloris ex albido luteoli vel subrufi, serius obscurioris, extus opaca, quasi pulvere inspersa, fragilia, fractura plana, cerea, diaphana, saporis subamari, quum accenduntur fragrantia.

## Herba Absinthii.
### Wermuthkraut.

**Artemisia Absinthium *L.* Compositae *Adanson.***
**XIX. 2. *L.***

Herba florens paniculata, foliis cano-sericeis, bi- vel tripinnatifidis, summis indivisis, laciniis spathulatis, anthodiis subglobosis, nutantibus, receptaculo piloso, corollis subflavis, saporis peramari, odoris peculiaris gravis. Colligenda mensibus Julio et Augusto, a caulibus crassioribus liberanda.

## Herba Centaurii minoris.
### Tausendgüldenkraut.

**Erythraea Centaurium *Persoon.* Gentianeae *Juss.***
**V. 1. *L.***

Herba florens, caule angulato inferne simplici, superne corymboso, foliis oppositis, sessilibus, ex ovali-oblongis, tri- vel quinquenerviis, glabris, floribus rubris, antheris defloratis cochleae instar tortis, saporis amari. Colligatur mense Julio.

## Herba Chelidonii.
### Schellkraut.

**Chelidonium majus *L.* Papaveraceae *De Candolle.***
**XIII. 1. *L.***

Herba recens, succo luteo acri repleta, foliis sublyratis, subtus glaucescentibus, ibidem nervis praesertim pubescentibus, laciniis rotundatis, lobato-crenatis. Colligenda herba quum planta florescit.

## Herba Cochleariae.

### Löffelkraut.

**Cochlearia officinalis *L.* Cruciferae *Juss.***
**XV. 2. *L.***

Herba recens florens, foliis infimis petiolatis, subcordato-rotundis, repandis, superioribus amplexicaulibus ovatis, sinuato-dentatis, corollis albis, siliculis turgidis, contrita odoris proprii, saporis amari, manducata acris. Herba plantae cultae vere colligenda.

## Herba Conii maculati.

### Schierlingskraut.

***Herba Cicutae.***

**Conium maculatum *L.* Umbelliferae *Juss.***
**V. 2. *L.***

Herba florens, glabra, foliis tri- vel quadripinnatifidis, in basi vaginatis, laciniis ultimis ovalibus, obtusis, mucronulatis, floribus parvis, albis, germine fere semigloboso, crenato-costato. Ne confundatur cum herba **Anthrisci silvestris *Hoffmann*,** multo frequentiore, caule sulcato, nodis tumidis, foliis et in vagina et subtus pilosis, laciniis foliorum ultimis oblongis, acutis, germine oblongo ecostato.

Herba Conii maculati, odore peculiari praedita, a caule fusco-maculato ramisque validioribus liberata **caute** neve ultra annum servetur.

## Herba Gratiolae.
### Gottesgnadenkraut.

**Gratiola officinalis *L.* Scrophularinae *R. Brown.* II. 1. *L.***

Herba florens, glabra, caule tetragono, stricto, superne ramoso, foliis oppositis, sessilibus, lanceolatis, remote serratis, tri- vel quinquenerviis, floribus axillaribus, solitariis, bibracteolatis, corollis subringentibus, albidis. Colligenda mensibus Junio et Julio.

**Caute** servetur.

## Herba Polygalae amarae.
### Bittere Kreuzblume.

**Polygala amara *L.* Polygaleae *Juss.* XVII. 3. *L.***

Herba florens cum radice tenui luteola, caulibus pluribus, unum et dimidium ad tres pollices altis, foliis inferioribus majoribus, in orbem digestis, spathulatis vel obovatis, obtusis, caulinis sparsis, lanceolatis, floribus parvis, racemosis, sapore peramaro.

Cave ne cum aliis Polygalae speciebus commutes, a quibus distinguitur et foliis inferioribus et sapore peramaro.

## Herba Serpylli.
### Feldkümmelkraut. Quendelkraut.

**Thymus Serpyllum *L.* Labiatae *Juss.* XIV. 1. *L.***

Herba florens, caule tenui, prostrato, foliis planis, oppositis, parvis, angustioribus vel latioribus, utrinque glandulosis, basi ciliatis, floribus capitatis, calyce atque corolla bilabiatis, odoris peculiaris.

## Herba Thymi.

### Thymiankraut.

**Thymus vulgaris *L.* Labiatae *Juss.* XIV. 1. *L.***

Herba florens, caule tenui, erecto, ramoso, pubescente, foliis parvis, oppositis, oblongis, margine revolutis nec ciliatis, utrinque glandulosis, subtus cano-pubescentibus, verticillastris axillaribus, superioribus congestis, calyce et corolla bilabiatis, odoris peculiaris.

## Herba Violae tricoloris.

### Freisamkraut. Stiefmütterchenkraut.

***Herba Jaceae.***

**Viola tricolor *L.* Violarinae *De Candolle.* V. 1. *L.***

Herba florens, caule angulato, ramoso, foliis sparsis, petiolatis, oblongis, crenatis, stipulis lyratis, petiolo longioribus, floribus longe pedunculatis, axillaribus, labiosis, calcaratis, tricoloribus vel flavidis.

## Hirudines.

### Egel. Blutegel.

**Sanguisugae species. Vermes, Annulata, Hirudinea.**

**Sanguisuga medicinalis *Savigny.***

**Deutscher Blutegel.**

Granuloso-scabra, superne olivacea, lineis sex longitudinalibus laete ferrugineis, nigro punctatis, subtus e subviridi luteola, maculis margineque nigris

**Sanguisuga officinalis *Savigny.***
**Ungarischer Blutegel.**

Laevis, superne subviridis vel e nigricante viridis, lineis sex longitudinalibus ferrugineis, nigro-punctatis, subtus olivacea, immaculata, linea utrinque laterali nigra.

Ne ad sugendum antea sint adhibitae.

# Hydrargyrum amidato-bichloratum.

## Quecksilberamidchlorid.

***Hydrargyrum ammoniato-muriaticum.***
***Mercurius praecipitatus albus.***
***Hydrochloras ammonicus cum Oxydo hydrargyrico.***

***R.*** **Hydrargyri bichlorati corrosivi partes duas, 2.**
**Aquae destillatae partes triginta duas, . . . . 32.**
**Ammoniaci caustici soluti partes tres. . . . . . 3.**

Hydrargyrum bichloratum in aqua destillata calefaciendo solutum, deinde refrigeratum et filtratum inter agitationem in ammoniacum causticum solutum, quod paullum praevaleat, infunde, tum praecipitatum filtra, quod postquam humor ab eo defluxit, **duodeviginti partibus Aquae destillatae** bis eluas. Loco obscuro siccetur.

Sit albissimum et igne plane volatile.

In vasis bene obturatis, a luce remotum **cautissime** serva.

# Hydrargyrum bichloratum corrosivum.

## Aetzender Quecksilbersublimat.

***Hydrargyrum muriaticum corrosivum.***
***Mercurius sublimatus corrosivus.***
***Bichloretum Hydrargyri.***

Ignitum sine residuo avolet, in aquae frigidae partibus sedecim, ebullientis partibus tribus, in spiritus vini rectificatissimi frigidi partibus tribus, in aetheris frigidi partibus quatuor solubile sit.

In vasis bene clausis **cautissime** serva.

# Hydrargyrum biiodatum rubrum.

***Mercurius iodatus ruber. Biiodetum Hydrargyri.***
***Hydrargyrum periodatum.***

***R.*** **Hydrargyri bichlorati corrosivi partes quatuor, . . . . . . . . . . . . . . . . 4.**
**Aquae destillatae partes septuaginta duas, . . . 72.**
**Kalii iodati partes quinque, . . . . . . . . . . . 5.**
**Aquae destillatae partes sedecim. . . . . . . . 16.**

Hydrargyrum bichloratum corrosivum in aquae septuaginta duabus partibus, kalium iodatum in aquae sedecim partibus solve, solutum utrumque filtra et inter agitationem hydrargyro bichlorato soluto kalium

iodatum solutum adde. Hydrargyrum biiodatum inde ortum in filtrum immitte, aqua destillata bene elue et sicca.

Sit pulvis laete coccineus, ignitus residui nihil relinquens, in spiritu vini rectificatissimo, sed non in aqua solubilis.

In vasis bene clausis **cautissime** servetur.

## Hydrargyrum chloratum mite.

Quecksilberchlorür.

***Hydrargyrum chloratum mite laevigatum.***
***Hydrargyrum muriaticum mite laevigatum.***
***Mercurius dulcis. Calomel. Chloretum Hydrargyri.***

Sit pulvis e subflavo albus, subtilissimus, ex hydrargyro chlorato sublimato parandus, cum aqua frigida contritus huic hydrargyri bichlorati corrosivi nihil impertiens, ignitus plane avolans.

A luce remotum **caute** servetur.

## Hydrargyrum depuratum.

Gereinigtes Quecksilber.

Ignitum residuum ne relinquat, neve aliena metalla contineat.

## Hydrargyrum iodatum.

*Hydrargyrum iodatum flavum.*
*Mercurius iodatus flavus. Hydrargyrum subiodatum.*
*Iodetum hydrargyrosum.*

***R.*** **Hydrargyri depurati partes octo, . . . . . . . 8.**
**Iodi partes quinque. . . . . . . . . . . . . . . . 5.**

In mortario porcellanico hydrargyrum et iodum adspersis **Spiritus Vini rectificatissimi nonnullis guttis** contere, donec globuli hydrargyri oculis non amplius percipi possint et mixta colorem e subviridi flavum induerint. Tum spiritu vini elotum loco calido sicca.

Sit pulvis e subviridi flavus, ab hydrargyro biiodato liber.

A luce remotum **cautissime** servetur.

## Hydrargyrum oxydatum rubrum.
### Fein zerriebenes Quecksilberoxyd.

*Hydrargyrum oxydatum rubrum laevigatum.*
*Mercurius praecipitatus ruber.*
*Oxydum hydrargyricum.*

Sit pulvis subtilissimus, colore e rubro flavo, ab hydrargyro metallico et acido nitrico liber, in acidis et nitrico et hydrochlorato plane solubilis, ignitus residui nihil relinquens.

Loco obscuro **cautissime** serva.

# Hydrargyrum oxydulatum nitricum crystallisatum.

*Nitras hydrargyrosus.*

**R.** **Hydrargyri depurati,**
**Acidi nitrici partes aequales.**

In patinam porcellanicam infusa per aliquot dies sepone. Tum liquor calefiat, donec crystalli ortae plane solutae fuerint, quo facto hydrargyrum separetur a liquore, qui ad crystallisationem seponatur. Crystalli e liquore exemtae siccentur. Liquori hydrargyrum rursus addere eandemque operationem tam diu repetere licet, quam diu crystalli oriuntur.

In vasis bene obturatis **cautissime** servetur.

# Hydrargyrum oxydulatum nitricum solutum.

*Liquor Hydrargyri nitrici.*
*Nitras hydrargyrosus solutus.*

**R.** **Hydrargyri oxydulati nitrici crystallisati partes septem,** . . . . . . . . . . . . . . **7.**
**Aquae destillatae partes quinquaginta quinque,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . **55.**
**Acidi nitrici partem unam.** . . . . . . . . . . . . . **1.**

Aquam cum acido nitrico misce, hydrargyrum oxydulatum nitricum in hoc mixto solve, solutum filtra eique si opus fuerit, tantum aquae destillatae adde, ut pondus specificum sit = 1,100.

Sit limpidum, ab hydrargyro oxydato nitrico liberum.

In vase bene clauso **cautissime** servetur.

## Hydrargyrum sulphuratum nigrum.

***Aethiops mineralis.***

***R.*** **Hydrargyri depurati,**
**Sulphuris depurati, partes aequales.**

Hydrargyrum cum sulphure modico calore tam diu conteratur, donec acido nitrico calore non adhibito hydrargyri nihil amplius e massa solvatur.

Sit pulvis coloris nigerrimi, ignitus plane avolans.

## Infusum Sennae compositum.

***Loco Aquae laxativae Viennensis.***

***R.*** **Foliorum Sennae** concisorum **partes duas, . . 2.**
**Aquae communis fervidae partes duodecim, . 12.**
**Natro-Kali tartarici partes duas, . . . . . . . 2**
**Mannae partes tres. . . . . . . . . . . . . . . . . 3.**

Foliis Sennae infunde aquam fervidam, sepone per semihoram saepius agitando, deinde exprime; in colatura solve natro-kali tartaricum et mannam. Denuo cola.

Colatura efficiat partes **quindecim.**

Sit coloris fusci.

# Iodum.

## Iod.

*Iodum bis sublimatum.*

Ignitum sine residuo avolans, in spiritus vini rectificatissimi partibus decem solubile sit.

**Caute** servetur.

# Kali aceticum.

*Terra foliata Tartari. Acetas kalicus.*

**R. Acidi acetici diluti partes centum, . . . . . . 100.**
**Kali bicarbonici puri partes quadraginta octo. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 48.**

Kali bicarbonicum sensim ingere in acidum aceticum et liquori, in vase porcellanico balneo vaporis calefacto, tantum insuper kali bicarbonici puri adde, quantum ad neutralisationem requiritur. Tum filtretur et in balneo vaporis inter agitationem ad siccitatem usque evaporet. Massam salinam adhuc calidam in vas vitreum ingere.

Sit pulvis crystallinus, albissimus, fere neuter, in aquae partibus duabus, in spiritus vini rectificatissimi partibus quatuor solvendus, ab inquinamentis metallicis plane liber.

In vasis vitreis bene clausis servetur.

## Kali aceticum solutum.

*Liquor Kali acetici. Liquor Terrae foliatae Tartari. Liquor Acetatis kalici.*

*R.* **Acidi acetici diluti partes centum, . . . . . . 100.**
**Kali bicarbonici puri partes quadraginta octo. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 48.**

Kali bicarbonicum sensim ingere in acidum aceticum et liquore calefacto acidoque carbonico libero expulso tantum insuper kali bicarbonici puri adde, quantum ad neutralisationem requiritur. Quo facto liquori filtrato tantum **Aquae destillatae** affundatur, ut pondus totius sit partium **centum quadraginta duarum.**

Sit limpidum, coloris expers, ponderis specifici = 1,176 usque ad 1,180. Continet 33,3 partes kali acetici in 100 partibus.

## Kali arsenicosum solutum.

*Solutio arsenicalis. Solutio Fowleri.*

*R.* **Acidi arsenicosi** in frustulis, . . . . . . . . . . 1.
**Kali carbonici puri,** singulorum partem unam, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Aquae destillatae partes sexaginta. . . . . . . 60.**

Acidum arsenicosum sedulo contritum et kali carbonicum in cucurbitam immitte, affunde aquam destillatam et coque, donec acidum arsenicosum plane solutum fuerit. Solutis et refrigeratis et filtratis tantum

**Aquae destillatae** adde, ut pondus totius liquoris sit partium **nonaginta.**

**Cautissime** servetur et secundum leges dispensetur.

Nota. Kali arsenicosi soluti partes nonaginta continent acidi arsenicosi partem unam.

## Kali bicarbonicum purum.
### Saures kohlensaures Kali.

***Bicarbonas kalicus. Hydro-Kali carbonicum.***

Sit in aquae frigidae partibus quatuor sine residuo solubile; kalii chlorati nonnisi minimam copiam contineat.

## Kali bitartaricum crudum.
### Roher Weinstein.

***Tartarus crudus. Bitartras kalicus cum Aqua crudus.***

## Kali bitartaricum purum.
### Gereinigter Weinstein.

***Tartarus depuratus. Hydro-Kali tartaricum. Bitartras kalicus cum Aqua depuratus. Cremor Tartari.***

Pulvis albus, crystallinus, neque calcariam tartaricam, neque ferrum tartaricum continens, in aquae frigidae partibus centum septuaginta, in aquae ebullientis duodeviginti partibus solubilis.

Ad usum pharmaceuticum per cribrum subtile transmittatur.

## Kali carbonicum crudum.
Rohes kohlensaures Kali.

*Cineres clavellati. Carbonas kalicus crudus.*
*Rohe Pottasche.*

Nonnisi optimum, quod in mercatura est, adhibeatur.

## Kali carbonicum depuratum.

*Kali carbonicum e cineribus clavellatis.*
*Carbonas kalicus e cineribus clavellatis.*

*R.* **Kali carbonici crudi,**
**Aquae destillatae partes aequales.**

Kali carbonicum inter agitationem in aquam immitte, aliquamdiu saepius agitando sepone, deinde per linteum densum cola. Quae perfluxerunt, quam diu turbida sunt, in colum refundantur, tum liquor limpidus in lebete ferreo polito sub perpetua agitatione ad siccum evaporet. Massam salinam adhuc calidam in vas vitreum calefactum ingere.

Sit pulvis albissimus, crassus, in aquae aequali pondere paene limpide solubilis.

In vase vitreo, bene clauso servetur.

## Kali carbonicum purum.
Reines kohlensaures Kali.

***Kali carbonicum e Tartaro. Sal Tartari. Carbonas kalicus purus.***

Kali bicarbonicum purum in vase ferreo polito calefiat, donec aquae et acidi carbonici nihil amplius secedat.

Sit albissimum, in aquae aequali pondere sine residuo et limpide solubile.

## Kali carbonicum solutum.

***Liquor Kali carbonici. Oleum Tartari per deliquium.***

***R.*** **Kali carbonici puri sicci** partes **undecim**, . . **11.**
**Aquae destillatae** partes **viginti**. . . . . . . . . **20.**

Kali carbonicum in aqua solve et solutis filtratis, si opus fuerit, tantum **Aquae destillatae** adde, ut liquoris pondus specificum sit = 1,330 usque ad 1,334, quod respondet $33\frac{1}{3}$ partibus kali carbonici in 100 partibus.

## Kali chloricum.
Chlorsaures Kali.

***Kali chloricum depuratum. Kali muriaticum oxygenatum seu oxymuriaticum depuratum. Chloras kalicus depuratus.***

Sit in aquae frigidae partibus septendecim, in aquae ebullientis partibus tribus solubile; solutum addito argento nitrico paullum modo turbidum appareat.

# Kali hydricum fusum.

***Kali causticum fusum. Hydras kalicus fusus. Lapis causticus Chirurgorum.***

***R.*** **Kali hydricum siccum.**

In vase argenteo tam diu igni exponatur, donec olei instar fluat, tum in modulum tepefactum effundatur, ut fiant bacilli, qui statim in vas bene claudendum immittantur.

Sit album, **caute** servetur.

# Kali hydricum siccum.

***Kali causticum siccum. Alkali causticum. Hydras kalicus.***

Kali hydricum solutum dilutum, secundum formulam, infra descriptam paratum primum in vase ferreo, tum in vase argenteo celeriter evaporet eo usque, ut gutta ejus in metallum frigidum demissa perfecte concrescat. Deinde massa leni igne spathula argentea continuo agitetur, donec pulvis crassus remaneat, qui adhuc calidus in vas calefactum immittatur.

Sit pulvis albus.

In vasis bene obturatis **caute** servetur.

# Kali hydricum solutum.

*Liquor Kali hydrici. Liquor Kali caustici.*
*Lixivium causticum. Liquor Hydratis kalici.*

| | | |
|---|---|---|
| *R.* | **Kali carbonici crudi,** . . . . . . . . . . . . . . . | **2.** |
| | **Aquae communis,** singulorum **partes duas,** . | **2.** |
| | **Aquae communis partes decem,** . . . . . . . . . | **10.** |
| | **Calcariae** recens **ustae partem unam,** . . . . . | **1.** |
| | **Aquae communis partes quatuor.** . . . . . . . . | **4.** |

Kali carbonicum in aquae partes duas immissum saepe agitando per aliquod tempus sepone, tum per linteum densum cola. Liquor limpidus cum aquae partibus decem misceatur et in lebete ferreo polito calefiat, donec ebulliat, tum sensim et inter continuam agitationem calcaria cum aquae partibus quatuor mixta addatur; mixtum tam diu coquatur, donec portiuncula exemta et filtrata acido affuso non amplius effervescat In lebete, quem bene texeris, quae indissolubilia sunt plane subsidant, quo facto liquor limpidus ope siphonis in vas, quod claudi possit, sive vitreum sive figlinum, Steingut dictum, transfundatur. Quae subsederint, cum **Aquae fervidae partibus quatuor** bene agitentur et iterum subsidant; liquor limpidus per siphonem in idem illud vas transfundatur et liquores commixti in lebete perfecte mundato evaporent, donec partes eorum quatuor compleant vas, quod capax sit aquae partium trium.

Sit limpidum, coloris expers, aut paullum subflavum, ab acido carbonico, quantum fieri potest, liberum. Kali sulphurici et kalii chlorati pauxillum modo contineat.

Pondus specificum sit = 1,330 usque ad 1,334; continet kali partes 28 in 100 partibus.

In lagenis vitreis, epistomiis vitreis munitis caute servetur.

## Kali nitricum.

### Gereinigter Salpeter.

***Kali nitricum depuratum. Nitrum depuratum. Nitras kalicus depuratus. Salpetersaures Kali.***

In aquae frigidae partibus tribus, in aquae ebullientis partibus 0,4 solubile. In aqua solutum addito argento nitrico turbidum tantum appareat neve praecipitatum demittat.

## Kali sulphuricum.

### Schwefelsaures Kali.

***Kali sulphuricum depuratum. Tartarus vitriolatus depuratus. Arcanum duplicatum depuratum. Sulphas kalicus depuratus.***

Crystalli in aëre constantes, a natro sulphurico liberae, in aquae frigidae partibus novem, in aquae fervidae partibus quatuor solubiles.

## Kali tartaricum.

*Tartarus tartarisatus. Tartras kalicus.*

**℞. Kali bitartarici puri partes novem, . . . . . . 9.**
**Kali bicarbonici puri partes sex, . . . . . . . 6.**
**Aquae destillatae partes duodecim. . . . . . . 12.**

Aquae in vase porcellanico calefactae seorsum immitte paullatim kali bitartaricum et kali bicarbonicum. Si post fervorem soluta non sint alkalina, tantum kali bicarbonici addatur, ut paullum praevaleat. Liquor filtratus ad crystallisationem evaporet. E lixivio evaporatione et crystallisatione plures etiam crystalli obtineri possunt.

Sint crystalli coloris expertes, diaphanae, ab inquinamentis metallicis plane, a salibus heterogeneis, quantum fieri potest, liberae.

Kali tartaricum in aquae frigidae tribus quadrantibus, in aquae fervidae dimidia parte sit solubile.

## Kali tartaricum boraxatum.

*Tartarus boraxatus. Cremor Tartari solubilis.*

**℞. Natri biboracici partem unam, . . . . . . . . . 1.**
**Aquae destillatae partes decem, . . . . . . . . 10.**
**Kali bitartarici puri partes duas. . . . . . . . . 2.**

Natrum biboracicum in vase porcellanico in aqua solve, adde kali bitartaricum et in balneo vaporis saepe agitando sepone, donec kali bitartaricum solutum fuerit. Liquor filtretur et in balneo vaporis evaporet,

donec massa tenax et post refrigerationem friabilis facta sit. Quae adhuc calida, spathula e vase exemta, in taenias extenuata chartae imponatur, leni calore plane siccetur et in pulverem redacta statim in vas calefactum immittatur.

Sit pulvis albus, facile humescens, saporis acidi, in aquae aequali pondere solubilis.

In vase bene clauso servetur.

## Kalium iodatum.

***Kali hydroiodicum. Iodetum kalicum.***

| | | |
|---|---|---|
| ***R.*** | **Iodi partes duodecim,** | **12.** |
| | **Ferri in filis partes quatuor,** | **4.** |
| | **Aquae destillatae partes septuaginta duas,** | **72.** |
| | **Iodi partes quatuor,** | **4.** |
| | **Kali bicarbonici puri partes quatuordecim,** | **14.** |
| | **Aquae destillatae partes quadraginta quinque.** | **45.** |

Aquae destillatae partibus septuaginta duabus in patinam porcellanicam infusis addantur et ferrum et iodi partes duodecim, deinde patina in balneo vaporis saepe conquassando leniter calefiat, donec liquor initio fuscus decolor evaserit. Tum liquor de ferro non soluto in aliam patinam defundatur et ferrum bene abluatur. In liquoribus commixtis solve iodi partes quatuor, tum soluta sensim infunde in liquorem bullientem e kali bicarbonico et aquae destillatae partibus quadraginta quinque paratum. Si ferrum oxydulato-oxydatum non

plane praecipitatum sit, pauxillum kali bicarbonici soluti insuper addatur. Tum filtretur, filtrum et quae in eo continentur, sedulo eluantur, liquor evaporet et loco calido in crystallos redigatur.

Sint crystalli in tribus quadrantibus aquae et in sex partibus spiritus vini rectificatissimi solubiles, a kali et carbonico et iodico plane et a kalio chlorato eo usque liberae, ut sedimentum, quod crystallorum solutarum praecipitatione argento nitrico facta obtinueris, cum ammoniaco caustico soluto quassatum liquorem praebeat, qui addita acidi nitrici copia abundante turbidus tantum apparet, praecipitatum autem non efficit.

**Caute** servetur.

## Kalium sulphuratum pro balneo.

***Kali sulphuratum pro balneo.***
***Hepar Sulphuris pro balneo.***

***R.*** **Sulphuris partem unam,** . . . . . . . . . . . . . **1.**
**Kali carbonici crudi** siccati **partes duas.** . . . **2.**

Mixta in sartagine ferrea satis ampla et tecta leni igni exponantur, donec effervescere cessaverint et coeant in massam homogeneam, quam in laminam ferream aut in mortarium ferreum effunde. Massam refrigeratam in pulverem crassum redactam statim in vas bene claudendum ingere.

Sit coloris e flavo viridis, in aqua destillata excepto residuo parvo solubile.

In vasis bene clausis servetur.

## Kreosotum.
### Kreosot.

Liquor coloris expers aut subflavus, limpidus, olei aetherei similis, aqua paullulo gravior, odoris gravis peculiaris.

In aquae partibus octoginta, in spiritus vini rectificatissimi copia quantacunque solvitur.

Cum kali conjunctum in aqua facile solubile, majore aquae copia addita ne turbetur.

**Caute** serva.

## Kreosotum solutum.

*Aqua Kreosoti.*

***R.*** **Kreosoti partes tres, . . . . . . . . . . . . . . 3.**
**Aquae destillatae partes quadringentas. . . . 400.**

Kreosotum agitando in aqua solve.

Nonnisi ad dispensationem paretur.

Sit paullum turbidum.

## Lichen Islandicus.

***Isländische Flechte. Isländisches Moos.***

**Cetraria Islandica *Acharius.* Parmeliaceae *Link.***

**XXIV. 3. *L.***

Thallus erectus, foliaceus, varie laciniatus, fimbriatus, canaliculatus, hinc fuscus, illinc pallidior, in basi sanguineus, quum siccus est rigidus, fragilis, quum

humectatus est mollescens, cartilagineo-subcoriaceus, sapore amaro; cum aqua coctus refrigerando gelatinam efficiens.

## Lignum Guajaci.
### Guajakholz.

***Lignum sanctum. Pockholz. Franzosenholz.***

**Guajacum officinale *L.* Zygophylleae *R. Brown.* X. 1. *L.***

Lignum ponderosum, compactum, durum, duramine resinoso, coloris olivacei, alburno leviore et pallide subluteo, calefactum odoris benzoini. Rasura venalis frustulis pallidioribus ex alburno vel e lignis heterogeneis ortis, ne nimis sit mixta. In usum pharmaceuticum etiam magis diminuatur.

## Lignum Quassiae.
### Quassienholz.

***Lignum Quassiae Surinamensis.***
***Surinamisches Quassien-*** *oder* ***Bitterholz.***

**Quassia amara *L.* Simarubae *Richard.* X. 1. *L.***

Lignum albidum, leve, in fustibus cylindricis unum vel tres pollices crassis, extus striatis, cortice tenui facile ubique separabili vel obtectis, vel jam denudatis, saporis peramari.

**Rasuram venalem** ne adhibeas, neve ligno **Quassiae Jamaicensi** e **Picrasma excelsa** ***Planchon*** oriundo utaris, cujus trunci fere pedem crassi, cortice crasso obtecti in mercatura sunt.

# Lignum Sassafras.

## Sassafrasholz.

***Fenchelholz.***

**Sassafras officinale *Nees.* Laurineae *Juss.***
**IX. 1. *L.***

Lignum radicis, leve, molle, stratis concentricis manifestis, coloris pallide subfusci vel subrubelli, in fustibus flexuosis variae magnitudinis, vel decorticatis vel cortice spongioso, friabili, extus rimoso, cinereo, intus rubiginoso obtectis, saporis subdulcis, odoris foeniculacei.

# Linimentum ammoniacatum.

***Linimentum ammoniatum. Linimentum volatile.***

***R.*** **Olei Olivarum Provincialis partes quatuor, . . 4.**
**Ammoniaci caustici soluti partem unam. . . . . 1.**

In vase vitreo conquassentur donec perfecte coeant. Sit subfluidum, neve, si sepositum est, partes, quibus continetur, inter se separentur.

Cave ne rancidum sit.

## Linimentum saponato-camphoratum.

*Balsamum Opodeldoc.*

**R.** **Saponis medicati partes viginti quatuor, . . 24.**
**Camphorae partes octo, . . . . . . . . . . . . 8.**
**Spiritus Vini rectificatissimi partes trecentas viginti, . . . . . . . . . . . . . . . 320.**
**Olei Thymi partem unam, . . . . . . . . . . . 1.**
**Olei Rosmarini partes duas, . . . . . . . . . . 2.**
**Ammoniaci caustici soluti partes sedecim. . . 16.**

Saponem medicatum et camphoram in spiritu vini in cucurbita calefaciendo solve in balneo vaporis; soluta adhuc fervida per filtrum in vas bene claudendum ingere. Tum olea et thymi et rosmarini et ammoniacum causticum adde. Liquor in vase clauso iterum calefactus statim effundatur in vasa vitrea, quae bene clausa in aqua frigida quam citissime refrigerentur.

Sit ex albo subflavum, subdiaphanum, opalescens, ne nimis durum; manus calore facile liquescens.

## Liquor ad Serum Lactis parandum.

De abomaso vituli lactentis aqua abluto tunica interna deradatur.

**Partibus tribus tunicae derasae . . . . . . . 3.**
affunde
**Vini albi partes viginti sex . . . . . . . . . . 26.**
et adde
**Natrii chlorati partem unam. . . . . . . . . . 1.**

Per triduum saepius conquassando macera, tum filtra.

Sit limpidus, coloris subflavi, acidi nonnisi valde exiguam copiam continens.

## Lycopodium.

### Bärlappsamen. Streupulver.

***Semen vel Sporae vel Antheridia Lycopodii.***

**Lycopodium clavatum *L.* Lycopodiaceae *De Candolle.* XXIV. 2. *L.***

Pulvis subtilissimus, mobilissimus, aquam respuens, flammae inspersus celeriter deflagrans, pallide flavus.

Ne commutetur cum polline aureo pinorum aliarumque arborum, quod facilius in glomerulos coit.

## Macis.

### Muskatblüthe.

***Arillus Myristicae.***

**Myristica fragrans *Houttuyn.* Myristiceae *R. Brown.* XXII. 13. *L.***

Arillus seminis lacerus, fragilis, pinguiter nitens, coloris aurantiaci, odoris peculiaris aromatici, manducatus urens.

## Magnesia hydrico-carbonica.
Kohlensaure Bittererde.

*Magnesia carbonica.*
*Carbonas magnesicus cum Aqua* et *Hydrate magnesico.*
*Magnesia alba.*
*Basisch kohlensaure Bittererde. Magnesia.*

Sit levissima, salis natri aut alius cujuslibet magnesii conjunctionis non nisi pauxillum continens, a salibus kalinis vero aliisve salibus plane libera.

Ad usum pharmaceuticum per cribrum subtile trajiciatur.

## Magnesia sulphurica.
Bittersalz.

*Magnesia sulphurica bis depurata.*
*Sal amarum depuratum.*
*Sulphas magnesicus cum Aqua depuratus.*

Crystalluli prismaticae, splendentes, coloris expertes, in aquae frigidae partibus duabus, in aquae fervidae parte una solubiles.

A salibus alienis et metallis libera sit.

## Magnesia usta.

*Magnesia. Oxydum magnesicum.*

Magnesia hydrico-carbonica in crucibulo tecto aut in vase e ferro fuso parato calefiat, donec particula ejus cum aqua mixta acido sulphurico diluto addito non amplius effervescat.

Sit pulvis levis, albissimus, ab acido carbonico liber.

In vase vitreo bene clauso servetur.

# Manna.

## Manna.

**Fraxinus Ornus *L.* Oleïnae *Link.* II. 1. *L.***

**Manna purissima** frusta efficit tres ad octo pollices longa, novem ad duodeviginti lineas lata, planiuscula, canaliculata vel trigona, sicca, levia, friabilia, paullum tantum glutinosa, fractura fibrata, coloris albidi vel subflavi, saporis dulcis, sine acredine; haec dispensetur, si manna electa vel canellata praescripta fuerit.

**Manna communis** seu **Geracina** in massis occurrit conglutinatis e glebis vel granis albidis vel subfuscis, subviscidis, saporis dulcis cum acredine quadam subnauseosa.

Rejiciatur **Manna crassa, pinguis** seu **de Puglia,** quae massam grumoso-mollem, jam subfluidam, subfuscam, heterogeneis valde inquinatam, saepe etiam fermentescentem efficit.

# Mel.

## Honig.

**Apis mellifica *L.* Insecta, Hymenoptera, Melitidea.**

Cave ne sit acidum, neve farina adulteratum.

Rejiciatur, quod ex America ad nos adfertur.

# Mel depuratum.

*Mel despumatum.*

| | | |
|---|---|---|
| *R.* | **Mellis optimi partes quinquaginta,** . . . . . . | **50.** |
| | **Aquae communis partes centum,** . . . . . . . | **100.** |
| | **Carbonum vegetabilium** recens candefactorum, grosso modo pulveratorum et a pulvere subtili liberatorum **partem unam.** . . . . . . . . . . . . . . . | **1.** |

Mel cum aqua in vase stanneo mixtum, calore fere 100 ° C. per horam ebullitionem evitando calefactum in vase fictili per noctem loco frigido sepone. Tum carbonibus additis liquor per manicam laneam filtratus in balneo vaporis ad syrupi spissitudinem evaporet, demum coletur.

Sit limpidum, cum aqua mixtum limpidum maneat; coloris sit e flavo fusci, nec odoris nec saporis empyreumatici acidive.

Loco frigido servetur.

# Mel rosatum.

| | | |
|---|---|---|
| *R.* | **Florum Rosarum incarnatarum partem unam,** | **1.** |
| | **Aquae communis fervidae partes sex,** . . . . . | **6.** |
| | **Mellis depurati partes duodecim.** . . . . . . . . . | **12.** |

Aquam floribus rosarum infunde, per noctem sepone, tum exprime et cola. Liquor inde obtentus cum melle mixtus in balneo vaporis ad syrupi spissitudinem evaporet, deinde coletur.

Sit limpidum et fuscum.

Loco frigido servetur.

## Mixtura oleoso-balsamica.

*Loco Balsami Vitae Hoffmanni.*

***R.*** **Olei Lavandulae,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Olei Caryophyllorum,** . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Olei Cinnamomi Cassiae,** . . . . . . . . . . . . 1.
**Olei Thymi,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Olei Corticis Citri,** . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Olei Macidis,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Olei Florum Aurantii,** singulorum partem unam, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Balsami Peruviani partes tres,** . . . . . . . . 3.
**Spiritus Vini rectificatissimi partes ducentas quadraginta.** . . . . . . . . . . . 240.

Mixta per aliquot dies loco frigido sepone, subinde conquassa, tum filtra.

Sit limpida, e subfusco flava.

In vase bene clauso serva.

## Mixtura sulphurica acida.

*Mixtura sulphurico-acida.*
*Loco Elixirii acidi Halleri.*

***R.*** **Spiritus Vini rectificatissimi partes tres,** . . . . 3.
**Acidi sulphurici puri partem unam.** . . . . . . . 1.

Acidum sulphuricum agitando sensim in spiritum vini instilla.

Sit limpida, coloris expers, ponderis specifici = 0,998 usque ad 1,002.

In vase epistomio vitreo munito servetur.

## Morphium hydrochloratum.
### Chlorwasserstoff-Morphium.

***Morphium hydrochloricum seu muriaticum.***
***Salzsaures Morphium.***

Crystalli albae, splendentes, tenues, prismaticae, aciformes, in spiritu vini, in natri hydrici soluti copia superante atque in aquae partibus viginti plane solubiles, saporis valde amari, ignitae sine residuo conflagrantes.

**Caute** servetur.

## Moschus.
### Moschus.

***Moschus Chinensis vel Tibetanus vel Tonquinensis.***
***Chinesischer oder Tübetanischer oder Tonkinesischer Moschus.***

**Moschus moschiferus *L.* Mammalia, Bisulca, Cervina.**

Massa primum unctuosa, deinde grumosa, granula variae magnitudinis referens, obscure fusca, pinguiter nitens, trita in stratum tenue extenuanda, saporis subamari, odoris peculiaris, diu persistentis, fragrantissimi, secreta et inclusa in folliculo proprio, intus membrana tenui, fusca vestito, e quo exemta et a membranis et pilis purgata adhibeatur. Folliculus fere semiglobosus, pollicaris vel sesquipollicaris, hinc planiusculus, glaber,

illinc convexus pilisque obsitus e luteo subfuscis, apice obscurioribus, rigidis, in ambitu adpressis, circum duo foramina subcentralia in verticem erectis.

Cave a folliculis adulteratis moscho exemto corporibus heterogeneis farctis.

Moschum folliculis exemtum venalem, ex vesicis dictum, adhibere non licet.

Omnino rejiciatur Moschus Russicus vel Kabardinicus, in folliculo massam continens clariorem, odoris multo debilioris et urinae similis.

## Mucilago Gummi Arabici.

*R.* **Gummi Arabici partem unam, . . . . . . . . . . . 1.**
**Aquae destillatae partes tres. . . . . . . . . . . . . 3.**

Gummi in aqua solutum cola.

## Mucilago Salep.

*R.* **Tuberum Salep** pulveratorum **partem unam, 1.**
**Aquae communis frigidae partes sedecim, . . 16.**
**Aquae communis fervidae partes octoginta. . 80.**

Tuberibus Salep in lagenam immissis infundatur aqua frigida, deinde conquassando bene misceantur. Tum affundatur aqua fervida, quo facto mixta in vase conquassentur, donec refrigerata sint.

Ad dispensationem recens paretur.

# Natro-Kali tartaricum.

*Tartarus natronatus. Sal polychrestum Seignetti.*
*Tartras kalico-natricus cum Aqua.*

**R.** **Natri carbonici puri partes quatuor, . . . . . 4.**
**Kali bitartarici puri partes quinque, . . . . . 5.**
**Aquae destillatae partes viginti quatuor. . . . 24.**

Natro carbonico et kali bitartarico in vase aut porcellanico aut stanneo aqua infundatur, primum leniter calefiant, denique calor augeatur, ut ebulliant. Soluto, si non sit alkalinum, tantum natri carbonici addatur, ut alkalinum fiat, deinde aliquamdiu sepositum filtretur et evaporet, donec in gutta exemta refrigerata crystalli oriantur, tum ad crystallisationem seponatur. Liquor remanens iterum iterumque evaporet et in crystallos redigatur, quam diu crystalli oriuntur, quae abluantur et siccentur.

Sint diaphanae, in aquae partibus duabus solubiles, saporis mitis salsi, ab inquinamentis metallicis prorsus liberae.

# Natrum aceticum.
## Essigsaures Natron.

*Terra foliata Tartari crystallisata.*
*Acetas natricus cum Aqua.*

Crystalli coloris expertes, in aquae partibus tribus, in spiritus vini rectificatissimi partibus viginti solubiles.

Ab inquinamentis metallicis omnino, a natrio chlorato, natro sulphurico aliisque salibus heterogeneis, quantum fieri potest, sit liberum. Cave ne sit odoris empyreumatici.

## Natrum biboracicum.
### Borax.

***Natrum boracicum cum Aqua.***
***Boras natricus cum Aqua.***

In aquae bullientis partibus duabus, in aquae frigidae partibus duodecim solubile sit.

## Natrum bicarbonicum.
### Saures kohlensaures Natron.

***Natrum carbonicum acidulum.***
***Bicarbonas natricus cum Aqua.***

Sal albissimus in crustis crystallinis, in aëre non fatiscens, in aquae partibus tredecim solubilis, in spiritu vini non solvendus. Natri carbonici et sulphurici aut natrii chlorati nonnisi valde exiguam copiam contineat.

Rejiciatur, quod metallis inquinatum est.

# Natrum carbonicum crystallisatum crudum.

## Rohes krystallisirtes kohlensaures Natron.

***Natrum carbonicum crudum. Sal Sodae crudus. Alkali minerale crudum. Carbonas natricus crudus. Krystallisirte Soda.***

Sint crystalli magnae, coloris expertes aut frusta crystallina; natri carbonici anhydri 33 usque ad 35 partes in 100 partibus continent.

# Natrum carbonicum purum.

## Reines kohlensaures Natron.

***Natrum carbonicum depuratum. Natrum carbonicum bis depuratum crystallisatum. Alkali minerale depuratum. Sal Sodae depuratus. Carbonas natricus cum Aqua depuratus.***

Sint crystalli coloris expertes, in aëre facile fatiscentes, a natro sulphurico et natrio chlorato fere omnino liberae.

In aquae frigidae una et duabus tertiis partibus solubile, calore ad 36° C. aucto in aquae parte octava, aucto ad 100° C. in aquae parte quarta solubile.

## Natrum carbonicum siccum.

***Natrum carbonicum depuratum siccum.***
***Carbonas natricus depuratus.***

Crystallos **Natri carbonici puri** grosso modo contritas loco calido et sicco aëri expone, donec ponderis fere dimidium amiserint. Pulverem omnino siccum, in quem fatiscunt, per cribrum trajice.

In vase bene clauso loco sicco servetur.

## Natrum hydricum solutum.

***Liquor Natri hydrici. Liquor Natri caustici.***
***Liquor Hydratis natrici.***

***R.*** **Natri carbonici crudi crystallisati partes quatuor,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **4.**
**Aquae communis partes sedecim,** . . . . . . . . **16.**
**Calcariae** recens ustae **partem unam,** . . . . . **1.**
**Aquae communis partes quatuor.** . . . . . . . . . **4.**

Natrum carbonicum crudum in aquae partibus sedecim in lebete ferreo polito solvatur; soluto ad ebulliendum calefacto inter continuam agitationem calcaria cum aquae partibus quatuor mixta sensim addatur; deinde fac uti ad kali hydricum solutum parandum praescriptum est, nisi quod sedimentum cum **decem partibus Aquae fervidae** misceatur et mixta bene agitentur.

Sit limpidum, coloris expers vel paullum modo subflavum, ab acido carbonico, quantum fieri potest, liberum, natri sulphurici et natrii chlorati pauxillum modo continens.

Pondus specificum sit = 1,330 usque ad 1,334; continet 24 partes natri in 100 partibus.

In vasis vitreis, epistomiis vitreis munitis, **caute** servetur.

## Natrum nitricum.

### Salpetersaures Natron.

***Natrum nitricum depuratum.***

***Nitrum cubicum depuratum. Nitras natricus depuratus.***

Crystalli coloris expertes, pellucidae, praeter natrii chlorati pauxillum ab heterogeneis, praecipue a natrio iodato et natro iodico liberae.

In aquae frigidae partibus duabus, in aquae ebullientis non plane aequalibus partibus solubile.

## Natrum phosphoricum.

### Phosphorsaures Natron.

***Soda phosphorata. Phosphas natricus cum Aqua.***

Sint crystalli coloris expertes, recens paratae pellucidae, deinde in superficie paullum modo fatiscentes, a natro sulphurico aliisque heterogeneis liberae, in aquae frigidae partibus quatuor, in aquae fervidae partibus duabus solubiles.

## Natrum sulphuricum.
### Schwefelsaures Natron.

*Natrum sulphuricum depuratum.*
*Sal mirabile Glauberi depuratum.*
*Sulphas natricus cum Aqua depuratus.*

Crystalli coloris expertes, pellucidae, in aëre fatiscentes, a natrio chlorato, quantum fieri potest, ab aliis heterogeneis omnino liberae.

In aquae frigidae partibus tribus solubile, calore aucto ad 33° C. in parte tertia, aucto ad 100° C. in aquae duabus quintis partibus solubile.

## Natrum sulphuricum siccum.

*Natrum sulphuricum depuratum siccum.*
*Sulphas natricus depuratus.*

Crystallos natri sulphurici grosso modo tritas loco calido et sicco aëri expone, donec ponderis fere dimidium amiserint.

Pulverem omnino siccum, in quem fatiscunt, per cribrum trajice.

In vase bene clauso loco sicco servetur.

## Olea aetherea.

Olea aetherea, nisi qua alia agendi ratio praescripta est, vapore aquae parentur ex iis, quibus continentur. Vapores e lebete vaporario excitati in vas cylindricum

per foramen a fundo ejus duos fere pollices distans transducantur. Pollices nonnullos a fundo vasis distans cribrum linteo obtectum insertum sit, in quo substantiae siccae et diminutae collocentur. Vapores per eas evadentes in apparatum refrigeratorium transducantur, in quo prorsus condensentur. Proxime fundum vasis cylindrici strophinx inserta sit, cujus ope aqua condensata interdum emittatur, ut vapores sine impedimento per cribrum statim intrare possint.

Oleum ita obtentum ab aqua separetur et filtretur.

Omnia olea aetherea a luce remota in laguncùlis bene obturatis serventur aërisque contactus sollicite ab iis arceatur.

Sint limpida et odorem spargant excitatissimum earum substantiarum, e quibus parata sunt.

## Oleum Absinthii.

Paretur ex **Herba Absinthii** recens collecta ratione supra demonstrata.

Sit coloris e subfusco viridis.

## Oleum Amygdalarum.

E **Seminibus Amygdali dulcibus** vel **amaris**, grosso modo pulveratis, sacco inclusis, ope preli, laminis non tepefactis, exprimatur. Placenta pulverata operatio repetatur. Oleum per aliquod tempus sepositum filtretur.

Sit limpidum, coloris flavi, odoris expers, nec rancidum, nec frigore spiscescens.

In vase bene clauso servetur.

## Oleum animale aethereum.

***Loco Olei animalis Dippelii.***

**Oleum animale foetidum** e retorta in balneo arenae collocata leni calore destillet, quamdiu oleum tenue transit, quod cum **copia Aquae quadruplice** mixtum iterum destillet, quamdiu coloris expers aut paullum subflavum apparet. Tum oleum ab aqua separetur.

Sit limpidum, coloris expers aut paullum subflavum, odoris gravissimi. Rejiciatur, quod fuscum factum est.

In laguncnlis plane replendis optimeque clausis servetur.

## Oleum Anisi.

Paretur e **Fructibus Anisi** contusis.

Sit coloris expers aut subflavum.

Si frigore in massam crystallinam riguerit, calore etiam ad 6 usque ad 9° C. aucto eam formam servat.

## Oleum Balsami Copaïvae.

***R.*** **Balsami Copaïvae partem unam,** . . . . . . . . 1.
**Aquae communis partes octo.** . . . . . . . . . . . 8.

Mixtura e retorta destillet, quamdiu cum vaporibus aquae oleum transit; quod tum ab aqua separetur.

Sit coloris expers aut paullum subflavum.

## Oleum Cacao.

Kakao-Butter.

***Butyrum Cacao.***

**Theobroma Cacao *L.* Büttneriaceae *R. Brown.***
**XVIII. (XVI. 2.) *L.***

Sit album vel e subflavo album, sebo ovillo rigidius; leni calore sine sedimento liquescens.

## Oleum Cajeputi rectificatum.

Rectificirtes Cajeputöl.

**Melaleuca minor *Smith.* Myrtaceae *Juss.***
**XVIII. *L.***

Oleum tenue, coloris expers, odoris camphoracei.

## Oleum Calami.

Paretur e **Rhizomate Calami.**
Sit coloris flavi.

## Oleum Carvi.

Paretur e **Fructibus Carvi.**
Sit coloris expers.

## Oleum Caryophyllorum.

Paretur e **Caryophyllis.**
Sit recens coloris expers, paullatim subflavum aut subrubicundum, aqua gravius.

## Oleum Chamomillae citratum.

Paretur e **Floribus Chamomillae vulgaris** recens collectis modiceque siccatis, quorum **partibus quadringentis octoginta** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **480.**
addita sit:

**Olei Corticis Citri pars una**. . . . . . . . . . . **1.**

Sit coloris caerulei saturati, nequaquam viridis.

Servetur in lagenis minimis, a luce diligentissime remotis.

## Oleum Cinnamomi Cassiae.

Zimmtöl.

***Oleum Cinnamomi. Oleum Cassiae cinnamomeae.***
***Zimmtkassienöl.***

Sit subflavum, demum in colorem fuscum vergens, aqua gravius.

## Oleum Corticis Citri.

Citronenöl.

***Oleum de Cedro. Cedroöl.***

Sit tenue et subflavum.

## Oleum Crotonis.

Krotonöl.

**Tiglium officinale *Klotzsch.* Euphorbiaceae *Juss.***
**XXI. 7. *L.***

Oleum coloris mellei aut e flavo fusci, spissum, pingue, in lingua urens.

**Caute** serva.

## Oleum Cubebarum.

Paretur e **Fructibus Cubebae.**

Sit coloris expers; nimis spissum ne sit.

## Oleum Florum Aurantii.

Pomeranzenblüthenöl.

***Oleum Neroli.***

Sit tenue, coloris e rubro flavi.

## Oleum Foeniculi.

Paretur e **Fructibus Foeniculi.**

Sit coloris expers, frigore in laminas crystallinas rigescens.

## Oleum Jecoris Aselli.

Leberthran.

**Gadus Morrhua *L.* Gadus Callarias *L.***
**Pisces, Malacopterygii, Gadoidei.**

Oleum pingue, pellucidum, coloris expers aut coloris flavi aut aurantiaci, odoris piscini.

Rejiciatur, quod rancidum est, aut plumbum continet.

## Oleum Juniperi.

Paretur e **Fructibus Juniperi.**

Sit coloris expers.

## Oleum Lavandulae.

Lavendelöl.

Sit tenue, subflavum aut e subviridi subflavum.

## Oleum Lini.

Leinöl.

Oleum pingue, coloris flavi aut e subfusco flavi.
Cave ne nimis spissum sit.

## Oleum Macidis.

Muskatblüthenöl.

Sit coloris expers aut subflavum, paullatim fit e flavo subrubidum.

## Oleum Menthae crispae.

Paretur e **Foliis Menthae crispae.**
Sit coloris subflavi.

## Oleum Menthae piperitae.

Paretur e Foliis **Menthae piperitae** et aquae vaporibus rectificetur.
Sit coloris expers, in lingua sensum frigoris excitans.

## Oleum Nucistae.

Muskatsamenöl.

***Oleum Nucum moschatarum expressum.***

***Muskatnussöl. Muskatbutter.***

Oleum pingue, cum oleo aethereo mixtum, solidum, aqua levius, coloris aut aurantiaci aut e flavo et albo variegati, fragrans, in aethere fervente solutione limpida solubile.

## Oleum Olivarum.

Olivenöl.

***Oleum Provinciale. Provenceröl.***

**Olea Europaea *L.* Oleïnae *Link.* II. 1. *L.***

Sit subflavum, limpidum, saporis et odoris expers.

## Oleum Papaveris.

Mohnöl.

**Papaver somniferum *L.* Papaveraceae *Juss.***

**XIII. 1. *L.***

Oleum pingue, subflavum, odore fere nullo.

## Oleum Ricini.

Ricinusöl.

***Oleum Castoris.***

**Ricinus communis *L.* Euphorbiaceae *Juss.***

**XXI. 8. *L.***

Oleum pingue, paullum spissum, coloris expers aut subflavum, odorem nullum spargens, in spiritus vini rectificatissimi aequali minimum copia solubile.

Cave ne nimis spissum sit.

## Oleum Rosarum.

Rosenöl.

**Rosa Damascena** ***Miller.*** **Rosa moschata** ***Miller*** **et aliae species. Rosaceae** ***Lindley.*** **XII. 5.** ***L.***

Sit coloris expers aut pallide subflavum spissumque. Temperatura consueta olei aliqua pars solida est.

## Oleum Rosmarini.

Rosmarinöl.

**Rosmarinus officinalis** ***L.*** **Labiatae** ***Juss.*** **II. 1.** ***L.***

Oleum tenue, coloris expers aut e subviridi flavum.

## Oleum Sabinae.

Paretur e **Summitatibus Sabinae.**

Sit coloris expers.

**Caute** servetur.

## Oleum Sinapis.

Aetherisches Senföl.

**Sinapis nigra** ***L.*** **Cruciferae** ***Juss.*** **XV. 2.** ***L.***

Sit coloris expers aut subflavum, aqua gravius, in alcohole et aethere facillime, in aquae partibus quinquaginta solubile.

**Caute** servetur.

## Oleum Succini rectificatum.

**Oleum Succini crudum** cum **Aquae communis** copia **triplici** e retorta vitrea destillet, ita ut **tertia pars** olei adhibiti remaneat, vel quamdiu oleum coloris expers transit.

Recens paratum coloris expers, tempore flavescens.

## Oleum Tanaceti.

### Rainfarnöl.

**Tanacetum vulgare *L.* Compositae *Adanson.***
**XIX. 2. *L.***

Sit e viridi subflavum.

## Oleum Terebinthinae.

### Terpenthinöl.

**Pinus silvestris *L.***
**Pinus Pinaster *Aiton* et Picea excelsa *Link.***
**Coniferae. XXI. 8. *L.***

Oleum tenue, coloris expers; praeferatur, quod e Gallia meridionali ad nos pervenit.

Cave ne sit adulteratum **Oleo Pini**, quod odorem praebet empyreumaticum.

## Oleum Terebinthinae rectificatum.

Paretur ex **Oleo Terebinthinae** rectificando aquae vaporibus.

Sit coloris expers.

## Oleum Thymi.
### Thymianöl.

**Thymus vulgaris *L.* Labiatae *Juss.* XIV. 1. *L.***

Oleum tenue, coloris expers, paullum subflavum aut subviride; tempore colorem e subfusco rubrum induit.

## Oleum Valerianae.

Paretur e **Radice Valerianae.**

Sit coloris e subviridi flavi.

## Opium.
### Opium.

***Opium Smyrnaeum. Laudanum. Meconium. Mohnsaft.***

**Papaver somniferum *L.* Papaveraceae *Juss.* XIII. 1. *L.***

Massa in placentis variae magnitudinis, plus minusve conglobatis, Papaveris folio involutis et Rumicis cujusdam fructibus conspersis, extus durior, fusca, intus inaequaliter mollior, e granulis vel lacrimis dense compacta, fulva vel subflava, digitis tractata mollescens, saporis amari, odoris sopientis, in spiritu vini et in aqua partim solubilis.

Cave ab Opio nimis molli, jam mucido, nec minus a nimis duro et fragili.

Quum Opium Morphii partes 3 ad 13 in 100 partibus continere possit, ne adhibeatur Opium nisi **siccatum** et **pulveratum**, quod Morphii **minimum 10 partes in 100 partibus contineat.**

**Caute** serva.

## Oxymel scilliticum.

**℞. Aceti scillitici partem unam, . . . . . . . . . . . 1.**
**Mellis depurati partes duas. . . . . . . . . . . . 2.**

Mixta in balneo vaporis evaporent ad **partes duas**, deinde colentur.

Sit limpidum, e flavo fuscum, saporis amari et acidi.

Loco frigido servetur.

## Oxymel simplex.

**℞. Aceti partem unam, . . . . . . . . . . . . . . . . . 1.**
**Mellis depurati partes duas. . . . . . . . . . . . 2.**

Mixta in balneo vaporis ad **partes duas** evaporent, deinde colentur.

Sit limpidum, coloris e flavo fusci.

Loco frigido servetur.

## Petroleum rectificatum.

E **Petroleo crudo** destillando per aquae vapores paretur.

Sit coloris expers.

## Phosphorus.
### Phosphor.

Sub aqua in vase vitreo, quod ipsum in pyxide e lamina ferrea parata inclusum sit, **cautissime** servetur.

## Pilulae aloëticae ferratae.

***Pilulae Italicae nigrae.***

***R.*** **Ferri sulphurici puri** ad albedinem exsiccati,
**Aloës** pulveratae singulorum **partes aequales.**

Mixta contunde cum tanta **Spiritus vini rectificatissimi** copia, ut massa pilularis fiat, e qua formentur pilulae ponderis **granorum duorum** sive **centigrammatum duodecim.**

Sint nitidae, coloris nigri.

## Placenta Seminis Lini.
Leinkuchen.

**Linum usitatissimum *L.* Lineae *De Candolle.***
**V. 5. *L.***

Cave ne hujus loco placentae seminum **Brassicae Napi** aut **oleiferae** adhibeantur.

## Plumbum aceticum.
Bleizucker.

***Plumbum aceticum depuratum.***
***Saccharum Saturni depuratum.***
***Acetas plumbicus cum Aqua depuratus.***

Sint crystalli coloris expertes, in aquae frigidae partibus duabus, in aquae fervidae parte dimidia, excepto plumbi hydrico-carbonici residuo exiguo solubiles.

In vasis bene clausis **caute** servetur.

## Plumbum hydrico-aceticum solutum.

***Liquor Plumbi hydrico-acetici. Acetum plumbicum. Acetum saturninum. Liquor Plumbi acetici basici.***

***R.*** **Plumbi acetici partes tres,** . . . . . . . . . . . **3.**
**Plumbi oxydati,** igne ab acido carbonico prorsus liberati, **partem unam,** . . . . **1.**
**Aquae destillatae partes decem.** . . . . . . . . . . **10.**

Plumbum aceticum cum plumbo oxydato exacte contere, mixta in lagenam immitte, quae aqua sensim addita compleatur. Lagenam clausam saepissime conquassando sepone, donec pauxillum tantum residui albi non solutum remaneat. Tum filtra.

Pondus specificum sit = 1,236 usque ad 1,240.

**Caute** servetur.

## Plumbum hydrico-carbonicum.

### Bleiweiss.

***Cerussa.***

Cave ne creta, baryta sulphurica, gypso aliisve heterogeneis inquinatum sit.

**Caute** servetur.

## Plumbum oxydatum.

### Bleiglätte.

***Lithargyrum. Lithargyrum laevigatum. Plumbum oxydatum praeparatum.***

Continet fere semper aliquid plumbi carbonici, quod inquinamentum non habendum est.

Sit in acido nitrico plane solubile, a cupro oxydato, quantum fieri potest, liberum.

**Caute** servetur.

## Pulpa Tamarindorum cruda.
### Rohes Tamarindenmus.

***Tamarindi. Fructus Tamarindorum. Tamarinden.***

**Tamarindus Indica *L.* Caesalpiniaceae *De Candolle.* XVI. 1. *L.***

Pulpa Tamarindi orientalis e fusco nigra, tenax, ab exocarpio fragili liberata, pyrenis pergamenis, et vasorum fasciculis seminibusque intermixta, saporis grate acidi, parum adstringens. Rejiciantur placentae lenticulari forma, durae, ad sex pollices usque latae **Tamarindi Aegyptiacae**, nec non pulpa fusca, mollis, plerumque jam fermentata **Tamarindi occidentalis.**

## Pulpa Tamarindorum depurata.

**Pulpam Tamarindorum crudam** addito **pauxillo Aquae communis fervidae** sepone saepius agitando, donec aequabiliter emollita fuerit.

Tum per cribrum setaceum spathula lignea trajice et pulpam obtentam in vasis porcellanicis evaporatione in balneo vaporis ad **extracti spissioris** densitatem redige.

Deinde pulpae adhuc calentis **partibus senis** . **6.** admisce:

**Sacchari albissimi pulverati partem unam.** . . **1.**

Sit e nigro fusca, saporis acidi grati.

Loco sicco et frigido servetur.

## Pulvis aërophorus.

**℞. Natri bicarbonici partes quinque, . . . . . . . 5.**
**Acidi tartarici partes quatuor, . . . . . . . . . 4.**
**Sacchari albissimi partes novem. . . . . . . . . 9.**

Seorsum in pulverem subtilissimum redacta et bene exsiccata misceantur.

In vase bene clauso servetur.

## Pulvis aërophorus laxans.

***Pulvis aërophorus Anglicus.***

**℞. Natro-Kali tartarici** pulverati **partes septem et dimidiam, . . . . . . . . . . . . . . . . . $7\frac{1}{2}$.**
**Natri bicarbonici** pulverati **partes duas et dimidiam. . . . . . . . . . . . . . . . . . $2\frac{1}{2}$.**

Misceantur.

Simul seorsum dispensentur
**Acidi tartarici pulverati partes duae. . . . . . 2.**

**Nota. Si dosis requiritur pars una efficiat grana sedecim sive gramma unum.**

## Pulvis Glycyrrhizae compositus.

***Pulvis Liquiritiae compositus.***
***Pulvis pectoralis Kurellae.***

**℞. Foliorum Sennae, . . . . . . . . . . . . . . . . . . 2**
**Radicis Glycyrrhizae,** singulorum pulveratorum **partes duas, . . . . . . . . . . . 2.**
**Fructuum Foeniculi** pulveratorum, **. . . . . . . . 1.**
**Sulphuris depurati,** singulorum **partem unam, 1.**
**Sacchari albissimi** pulverati **partes sex. . . . . 6.**

Misceantur.

## Pulvis Ipecacuanhae opiatus.

*Pulvis Doweri.*

*R.* Kali sulphurici pulverati partes octo, . . . . . 8.
Opii pulverati, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 1.
Radicis Ipecacuanhae pulveratae, singulorum partem unam. . . . . . . . . . . . 1.

Misceantur exacte et in vasis bene clausis caute serventur.

Nota. Partes decem continent Opii partem unam.

## Pulvis Magnesiae cum Rheo.

*Pulvis pro infantibus.*

*R.* Magnesiae hydrico-carbonicae partes sexaginta, . . . . . . . . . . . . . . . . . . 60.
Sacchari albissimi pulverati partes quadraginta, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 40.
Radicis Rhei pulveratae partes quindecim, . . 15.
Olei Foeniculi partem unam. . . . . . . . . . 1.

Oleo foeniculi exactissime cum saccharo commixto radicem rhei et magnesiam admisce.

In vase bene clauso servetur.

## Radices.

Rejiciantur radices vetustae, vermiculatione exesae, humore corruptae, excavatae, mucidae, decolores.

## Radix Althaeae.

### Eibischwurzel. Altheewurzel.

**Althaea officinalis *L.* Malvaceae *R. Brown.***
**XVI. 5. *L.***

Radiculae simplices, longae, digitum crassae vel tenuiores, degluptae tantum et saepe fissae quoque prostant, albae vel albidae, extus in longitudinem non raro sulcatae, cicatricibus fibrillarum abscissarum subfuscis notatae, libro crassiusculo, valde fibrato, flexibili obtectae, intus farinosae, fragiles, manducatae mucilaginosae.

Colligenda radix plantae sponte crescentis vel cultae vere novo vel autumno; cormo, partibus lignosis et cariosis, nec non cortice exteriore tenui rejectis cito siccanda.

## Radix Angelicae.

### Angelikawurzel. Engelwurzel.

**Archangelica officinalis *Hoffmann.* Umbelliferae *Juss.***
**V. 2. *L.***

Caudex intermedius crassus, ad tres pollices longus, subspongiosus, sursum subtiliter denseque annulatus, radiculis instructus numerosis, longis, duas ad tres lineas latis, crassis, mollibus, sulcatis, cortice crassiusculo, extus e griseo fusco, intus albo, folliculis oleiferis crebris flavis consperso, ligno subflavo, radiato. Radix manducata urens, odoris gravis peculiaris, saporis initio dulcis, demum subamari.

Colligenda e planta spontanea vel culta, anno aetatis secundo, tempore verno.

## Radix Bardanae.

### Klettenwurzel.

**Lappa tomentosa *Lamarck*.**
**Lappa officinalis *Allione* et Lappa minor *De Candolle*.**
**Compositae *Adanson*. XIX. 1. *L*.**

Radix subsimplex, longa, digiti circiter crassitie, plerumque fissa prostat, extus rugosa, e griseo fusca, intus pallide subfusca, cortice crassiusculo, intus saepe foraminibus quasi albide tomentosis intercepta, ligno radiato, medulla lacera, nivea, tenui; manducata mucilaginosa, saporis primum subdulcis, paullatim subamari. Colligenda radix vere, secundo aetatis anno.

## Radix Belladonnae.

### Belladonnawurzel.

**Atropa Belladonna *L*. Solanaceae *Bartling*.**
**V. 1. *L*.**

Radix ramosa, longa, ad pollicem unum et dimidium crassa, plerumque fissa prostat, ramis longis, simplicibus, fibrillis paucis obsitis, extus per longitudinem striata atque rugosa, ex luteolo grisea, intus albida, fasciculis ligneis, sparsis, citrinis, porosis, fracta pulverem excitans.

Colligenda e planta sponte crescente, vere vel autumno. Rejicienda radix deglupta, lignosa, tenax, intus cava, fusca.

**Caute** servanda.

## Radix Colombo.

Kolombowurzel.

***Radix Columbo seu Calumbo.***

**Cocculus palmatus *De Candolle.***

**Jateorrhiza palmata *Miers.* Menispermeae *Juss.***

**XXII. 6. *L.***

Segmenta suborbicularia, unius vel duorum pollicum diametro, duas vel octo lineas crassa, extus rugosa, e griseo fusca, intus farinosa, coloris e subviridi vel subfusco flavi, utrinque intra marginem latum elevatum concava vel circa centrum iterum elata; marginem convexum circulus obscurus, striis numerosis radiatis decussatus dimidiat; e disco concavo emergunt fasciculi ligni sparsi. Radix valde mucilaginosa saporis est peramari, iodo addito colorem caeruleum induit.

## Radix Gentianae rubrae.

Enzianwurzel.

**Gentiana lutea *L.* Gentianeae *Juss.* V. 2. *L.***

Radix paullum ramosa, praelonga, plerumque pollicem crassa, saepe multo crassior, breviter multiceps, in mercatura plerumque longitudinaliter secta occurrens,

per longitudinem sulcata, superne annulis approximatis transversim rugosa, extrorsum subflava vel e subrufo fusca, introrsum ex rufo vel ex aurantiaco subfusca, recens carnosa, exsiccata fragilis, saepe spongioso-porosa, fractura aspera, cortice tenui per annulum saturatius tinctum a ligno crasso separato, saporis peramari.

Radices crassitudinis digitalis, strictiores, extrorsum magis e cinereo fuscae, ceterum simillimae nonnullarum aliarum Gentianae specierum rejiciendae non sunt; sed cave, ne **rhizomata Veratri** immixta sint.

## Radix Glycyrrhizae.
### Süssholzwurzel.

***Radix Liquiritiae mundata vel Russica.***
***Geschälte oder Russische Süssholzwurzel.***

**Glycyrrhiza echinata *L.* Papilionaceae *L.***
**XVII. 4. *L.***

Radix longa, ad pollicem unum et dimidium crassa, cortice exteriore deglupta, plerumque et a cormo magno liberata, coloris flavi, libro tenui, ligno crasso, radiato, fractura valde fibrosa, saporis valde dulcis.

## Radix Hellebori.
### Nieswurzel. Schwarze Nieswurzel.

**Helleborus viridis *L.* Ranunculaceae *Juss.***
**XIII. 5. *L.***

Rhizoma radicosum, sursum ramosum, ad tres pollices longum, ad tres lineas crassum; ramis ascendentibus,

subteretibus, annulatis, ad pollicem unum et dimidium longis; radicibus densis, longiusculis, ad lineam fere crassis, fragilibus, ut ipsum rhizoma extrorsum e fusco atris, introrsum plerumque sordide albis.

Ne confundatur cum radicibus **Hellebori nigri** ***L.***, **Adonidis vernalis** ***L.***, **Actaeae spicatae** ***L.***, adhaereant folia pedata, herbacea, argute inaequaliterque serrata, quae autem ante dispensationem sunt amovenda.

# Radix Ipecacuanhae.

## Brechwurzel.

**Cephaëlis Ipecacuanha** ***Willdenow.*** **Rubiaceae** ***Juss.***
**V. 1.** ***L.***

Radix flexuosa, unam ad duas lineas crassa, in utramque partem attenuata, annulis densis incompletis torosis verrucosa, cortice crasso, corneo, extrorsum obscurius vel pallidius fusco, introrsum subfusco, facile a ligno tenui albido separando.

In parando pulvere lignum internum, quod circiter quartam ponderis partem efficit, remaneat atque rejiciatur. Radix **caute** servetur.

# Radix Levistici.

## Liebstöckelwurzel.

**Levisticum officinale** ***Koch.*** **Umbelliferae** ***Juss.***
**V. 2.** ***L.***

Radix paullum tantum ramosa, longiuscula, ad duos pollices crassa, mollis, paene fungosa, coloris e subflavo fusci, intus pallide subflavi, cortice crassiusculo,

lacunoso, folliculis balsamifluis aurantiacis numerosis repleto, lignoque denso sed molli, odoris peculiaris, saporis ingrate subdulcis, os urentis. In mercatura plerumque longitudinaliter secta reperitur.

## Radix Ononidis.
### Hauhechelwurzel.

**Ononis spinosa *L.* Papilionaceae *L.* XVII. 4. *L.***

Radix praelonga, digitum fere crassa, multiceps, in longitudinem saepe profunde sulcata, tenax flexibilisque, cortice tenuissimo, extrorsum obscure fusco, ligno albido, fibroso, transverse dissecto duro et manifeste quidem, sed inaequaliter et flabelli instar radiato, saporis paullum e subdulci subamari, manducata urens. In mercatura plerumque longitudinaliter fissa occurrit.

## Radix Pyrethri.
### Deutsche Bertramwurzel.

**Anacyclus officinarum *Hayne.* Compositae *Adanson.* XIX. 2. *L.***

Radix simplex, longa, ad lineam unam et dimidiam crassa, extrorsum e cinereo fusca, in longitudinemque rugosa, intus pallidior, facile fragilis, cortice crassiusculo orbe ductuum balsamiferorum praedito, ligno radiato. Manducata radix os urit et salivam copiosiorem movet.

Radix ante dispensationem a foliis cauleque residuis plerumque adhaerentibus est liberanda.

## Radix Ratanhae.

### Peruanische Ratanhawurzel.

**Krameria triandra *Ruiz* et *Pavon*.**
**Krameriaceae *Kunth*. IV. 1. *L*.**

Radix lignosa, trunco crassiore sursum multicipite, inferne ramoso, ramis longis, ad sex lineas crassis, cylindricis; aut rami soli a trunco abscissi; cortice fractura subfibrosa, sexies saltem tenuiore quam lignum subinsipidum, cinnamomei coloris, valde adstringente, sapore subamaro.

Adhibeatur modo radix ex Peruvia advecta.

## Radix Rhei.

### Rhabarber.

**Rhei species ignotae. Polygoneae *Juss*.**
**IX. 3. *L*.**

Radicis segmenta multiformia, dura, omnino deglupta, saepe foramine instructa, fractura aspera, extrorsum lutea, plerumque pulvere conspersa, introrsum radiis alternatim rubris et albis, sed multifariam contortis, sinuatis et intricatis variegata. Radix manducata inter dentes stridet, salivam colore flavo tingit; saporis et odoris peculiaris. Pulvis ex ea paratus in vasis bene clausis servetur.

## Radix Sarsaparillae.

### Sarsaparillwurzel.

***Honduras-Caraccas-Para-Sarsaparille.***

**Smilacis species diversae. Smilacineae *R. Brown.* XXII. 6. *L.***

Radices longissimae, tenues, striatae vel sulcatae, extrorsum ex griseo fuscae vel ex fusco rubrae; mesophloeo crassiusculo aut farinoso et albo aut corneo et subfusco, annulo ligni clauso, radiis medullaribus non instructo, medulla alba farinosa. Cormus, cui radices secundariae adnatae sunt, in mercatura saepe proveniens, ante dispensationem est abscindendus.

Radix ex Mexico advecta, profunde sulcata, mesophloeo labente, tenui et ligno crassiusculo praedita, nec minus quaecunque macilenta aut stramento non dissimilis rejicienda.

## Radix Senegae.

### Senegawurzel.

**Polygala Senega *L.* Polygaleae *Juss.* XVII. 3. *L.***

Radix subcylindrica, basi tuberculosa, ad tres lineas crassa, apicem versus sensim attenuata, paullum ramosa, subvoluta, in interiore curvaturae latere carina corticali arguta notata, in altero latere torosa, coloris ex subflavo vel ex cinereo fusci, cortice crassiusculo, intus subflavo, ligno pallide flavo, in latere carinae opposito vel plano vel exciso. Radix debili odore, manducata fauces radit.

## Radix Serpentariae Virginianae.

### Virginische Schlangenwurzel.

**Aristolochia Serpentaria *L.* Aristolochiaceae *Juss.***
**XX. 5. *L.***

Rhizoma lineam crassum, pollicem, quum plurimum longum, horizontale, flexuosum, subdepressum, superne in longitudinem caulium residuis tenuibus brevibus, inferne radicibus numerosis, ad tres lineas longis, tenuissimis, fragilibus, pallide fuscis, obsitum. Lignum rhizomatis in latere inferiore est crassius quam in superiore, lignum radicum quadrangulare vel quinquangulare. Radix saporis est amari, trita odoris camphoracei.

## Radix Taraxaci.

### Löwenzahnwurzel.

**Taraxacum officinale *Weber.* Compositae *Adanson.***
**XIX. 1. *L.***

Radix siccata, quum plurimum pedalis, basi ad pollicem crassa, cylindrica, apicem versus sensim attenuata, plerumque multiceps, paullum ramosa, longitudinaliter sulcata, extus paene atrofusca; cortice crasso, intus albo, fungoso, segmento transversali lignum versus citrinum, porosum, circulis numerosis concentricis instructo; sapore amaro. Colligenda radix autumno.

## Radix Taraxaci cum Herba.
## Löwenzahnwurzel mit dem Kraut.

Planta vere recens colligenda, vulnerata lactescens, radice subcarnosa, extrorsum pallidius vel obscurius fusca; foliis rosulatis, runcinatis, denticulatis, glabriusculis; sapore ex dulci subamaro.

Ad extractum parandum adhibeatur.

## Radix Valerianae.
## Baldrianwurzel.

***Radix Valerianae minoris.***

**Valeriana officinalis *L.* Valerianeae *De Candolle.***
**III. 1. *L.***

Rhizoma (cormus) sesquipollicare, pollicem usque crassum, interdum stoloniferum, radices undique emittens creberrimas, longas, ad lineam crassas, teretes, quum sunt recentes, albas, quum siccatae, ex cinereo fuscas, striatas; cortice intus subfusco; ligno tenui, pallidiore; manducata radix urens, saporis amari, odoris gravis. Colligenda radix autumno; siccata in vase clauso servetur.

## Resina Benzoë.
## Benzoëharz.

***Benzoë. Asa dulcis.***

**Styrax Benzoin *Dryander.* Styraceae *Richard.***
**X. 1. *L.***

Massae e rufo fuscae, splendentes, friabiles, granulis vel frustulis albis, postremo pallide subfuscis

immersis, aut ex ejusmodi granis conglutinatae, odoris pergrati vanillacei. Praeferatur resina e regno Siamensi nobis advecta, rejiciatur autem resina Benzoë de Penang vel de Sumatra dicta, fere albida, opaca, e glebis constans copiosissimis, albidis, massae parcae, pallide fuscae immersis, quae parum aut nihil acidi benzoici, sed acidum cinnamomicum continet.

## Resina Elemi.
## Westindisches Elemiharz.
## Elemiharz von Yucatan.

**Planta ignota in Yucatan indigena.**

Massae compactae, subdiaphanae, intus molliores et tenaces, citrinae vel aurantiacae, odoris gravis peculiaris. Rejiciantur reliquae species Brasilianae et Asiaticae.

## Resina Guajaci.
## Guajakharz.

**Guajacum officinale *L.* Zygophylleae *R. Brown.***
**X. 1. *L.***

Resina in frustis difformibus, e subviridi aut subrubro fusca, fragilis, fractura aspera splendente, ad angulos colore viridi diaphana, calefacta odoris benzoini, substantiis oxydantibus colore viridi vel caeruleo tincta. Cave ne adulterata sit resina Colophonio, quae separetur, si ad resinam Guajaci in spiritu vini rectificatissimo solutam et aqua praecipitatam natrum hydricum solutum copia abundante addideris.

## Resina Jalapae.

*R.* **Tuberum Jalapae partem unam, . . . . . . . . 1.**
**Spiritus Vini rectificatissimi partes duas, . . . 2.**
**Spiritus Vini rectificatissimi partes duas. . . . 2.**

Tuberibus Jalapae tantum **Aquae** infunde, ut ad pollicis altidudinem tubera obtegantur. Macera per duos aut tres dies et liquore rejecto operationem repete. Tum tuberibus concisis et aëre siccatis infunde spiritus vini priorem copiam et digere per horas viginti quatuor. Post refrigerationem exprime, residuo spiritus vini alteram copiam infunde et fac ut antea. E tincturis commixtis et filtratis spiritus vini in balneo vaporis destillando separetur. Resina subsidens **Aqua communi fervida** eluatur, donec aqua coloris fere expers defluat, tum resina in balneo vaporis calefiat, donec portiuncula exemta refrigerando fragilis et facile friabilis fiat, deinde in bacillos formetur.

Sit fractura splendens, e flavo fusca et friabilis, in spiritu vini rectificatissimo plane, in aethere exigua ex parte solubilis.

**Caute** servetur.

## Resina Mastiche.
### Mastix.

***Mastiche. Mastice.***

**Pistacia Lentiscus** ***L.*** $\gamma$. **Chia** ***De Candolle.***
**Terebinthaceae** ***Juss.*** **XXII. 5.** ***L.***

Grana subrotunda, pisi plerumque magnitudine, subflava, superficie pulverulenta, fractura vitri instar

splendentia, pellucida, manducata mollescentia, in spiritu vini rectificatissimo maxima ex parte solubilia.

## Resina Pini Burgundica.
### Burgundisches Harz.

***Resina Burgundica.***

**Abietinarum species variae. Coniferae *Juss.* XXI. 9. *L.***

Resina subflava vel subfusca, diaphana, fractura conchata, nitens, calore mollescens, odoris terebinthini.

## Rhizoma Calami.
### Kalmuswurzel.

***Radix Calami.***

**Acorus Calamus *L.* Aroideae *Juss.* VI. 1. *L.***

Rhizoma cylindricum compressum, annulatum, ad pollicem latum, extus virens, rubens vel subfuscum, latere inferiore radicibus abscissis cicatricatum, intus albidum, canalibus aëriferis numerosissimis spongiosum, saporis amari, odoris gravis peculiaris.

Ad usum medicum rhizoma nonnisi decorticatum adhibeatur.

## Rhizoma Filicis.

### Wurmfarnwurzel.

***Radix Filicis.***

**Polystichum Filix mas *Roth.* Filices. XXIV. 1. *L.***

Rhizoma variae longitudinis, ad pollicem crassum, intus coloris viridis, paullatim cinnamomei, instructum fasciculis vasorum majusculis ad annulum interruptum dispositis, superficie tota dense petiolorum (stipitum) residuis secundis, adscendentibus, angulatis, carnosis, extus atrofuscis, intus viridibus et squamis paleaceis fuscis et radicibus tenuibus; sapore e dulci subamaro, odore peculiari, subnauseoso.

Rhizoma ne ultra annum servetur.

Ad pulverem parandum rhizoma a petiolorum residuis squamisque et radicibus liberatum una cum reliquiis petiolorum degluptis caute siccetur et pulvis viridis in vasis bene obturatis servetur; pulvis cinnamomei coloris rejiciatur.

## Rhizoma Galangae.

### Galgantwurzel.

***Radix Galangae minoris.***

**Scitaminearum adhuc ignota species Chinensis.**
**I. 1. *L.***

Rhizoma digiti crassitudine, duos fere pollices longum, cylindricum, breviter et paullum ramosum, saepe geniculatum, in longitudinem striatum, extus

ex rufo fuscum, albide annulatum, intus cinnamomei coloris, valde fibrosum; manducatum urens, saporis subamari, odoris peculiaris.

## Rhizoma Graminis.
### Quekenwurzel.

***Radix vel Stolones Graminis.***

**Agropyrum repens *Beauvois.* Gramineae *Juss.* III. 2. *L.***

Stolones subterranei, longissimi, ramosi, ad lineam crassi, teretes, nodosi, coloris pallide straminei, ad nodos tantum radicibus obsiti, vaginati, intus fistulosi; saporis dulcis.

Rhizoma plerumque concisum in mercatura proveniens adhibere licet.

## Rhizoma Iridis Florentinae.
### Veilchenwurzel.

***Radix Iridis Florentinae.***

**Iris Florentina *L.* et Iris pallida *Lamarck.* Irideae *Juss.* III. 1. *L.***

Rhizoma decorticatum, paullum depressum, solidum, durum, variae longitudinis, pollicem fere latum, articulatum, latere inferiore radicibus resectis cicatricatum, coloris albidi, saepe ramis clavatis mixtum, odorem violarum praebens.

## Rhizoma Veratri.

### Weisse Nieswurzel.

***Radix Hellebori albi.***

**Veratrum album *L.* Colchicaceae *De Candolle.***
**XXIII. 1. *L.***

Rhizoma (cormus) conicum, ad tres pollices longum, superne pollices unum ad duos latum, saepe multiceps, foliis desecatis breviter comatum, extus ex subnigro vel ex subfusco cinereum, obsolete annulatum, radicibus frequentibus resectis albide cicatricatum, intus sordide album, durum, manducatum valde urens, contritum sternutamentum vehementissimum movens.

**Caute** servetur.

## Rhizoma Zedoariae.

### Zittwerwurzel.

***Radix Zedoariae.***

**Curcuma Zedoaria *Roscoe.* Scitamineae *Juss.***
**I. 1. *L.***

Rhizoma (cormus) ovatum, annulatum, cortice et radicibus resectum, ipsum plerumque per transversum, interdum per longitudinem in quadrantes sectum in mercaturam venit, compactum, tenax, coloris pallide e griseo subfusci, receptaculis resiniferis creberrimis, parvis obsitum, manducatum urens, saporis subamari, odoris gravis, camphoracei.

# Rhizoma Zingiberis.

## Ingwer.

*Radix Zingiberis.*

**Zingiber officinale** ***Roscoe.*** **Scitamineae** ***Juss.***

**I. 1.** ***L.***

Rhizoma distiche ramosum, paullum depressum, compactum, ponderosum, aut undique aut in faciebus modo decorticatum, fractura paullum fibrosum, pallide subflavum aut albidum, receptaculis resiniferis parvis, creberrimis obsitum, manducatum urens, odoris peculiaris, aromatici.

# Rotulae Menthae piperitae.

***R.*** **Rotularum Sacchari partes ducentas, . . . . 200.**
**Olei Menthae piperitae partem unam, . . . . 1.**
**Aetheris acetici partes tres. . . . . . . . . . . 3.**

Oleum menthae et aetherem in vas vitreum infunde, quod iis intus humectes. Tum rotulis sacchari immissis vas bene conquassa, ut rotulae perfecte humectentur. In vase bene clauso serventur.

# Saccharum Lactis.

## Milchzucker.

Massae e crystallis compactis constantes, albae, durae, subdulces, in aquae frigidae partibus septem solubiles, in spiritu vini rectificatissimo indissolubiles.

## Santoninum.
### Santonin.

Crystalli coloris expertes, aëri expositae flavescentes, in aqua minima ex parte, in spiritu vini rectificatissimo bulliente facile, in chloroformii partibus tribus solubiles. Cum acidis santoninum non conjungitur, cum kali autem et natro et calcaria conjunctiones, in aqua facile solubiles init. Odoris est nullius, saporis peramari, ignitum liquescit, partim non disjunctum sublimatur et sine residuo comburitur.

A luce remotum servetur.

## Sapo jalapinus.

*R.* **Resinae Jalapae**, . . . . . . . . . . . . . . . . . 2.
**Saponis medicati**, singulorum **partes duas**, . 2.
**Spiritus Vini rectificati partes quatuor**. . . . . 4.

Resina Jalapae et sapo spiritu vini affuso leni calore emolliantur, tum mixta in balneo vaporis sub continua agitatione ad massae pilularis densitatem evaporent, ut totum pondus sit **partium quatuor** et **dimidiae.**

Sit coloris e fusco grisei; in spiritu vini rectificatissimo solubilis.

## Sapo medicatus.

*R.* **Adipis suilli recentis,** . . . . . . . . . . . . . . . 12.
**Olei Olivarum Provincialis,** singulorum
partes **duodecim,** . . . . . . . . . . . . . 12.
**Natri hydrici soluti partes quatuordecim,** . . 14.
**Aquae destillatae partes septuaginta sex,** . . 76.
**Natrii chlorati partes sex,** . . . . . . . . . . . 6.
**Aquae destillatae partes duodeviginti.** . . . . . 18.

Adipem et oleum olivarum leni calore in vase porcellanico liqua, tum sensim natrum hydricum solutum exactissime admisce. Mixtura loco calido stet per aliquot dies, tum sapo inde ortus induratus in **Aquae destillatae priore copia** balneo vaporis, saepius agitando, solvatur.

Soluto limpido addatur solutum e natrio chlorato et **Aquae destillatae altera copia** paratum et filtratum, quo facto mixta in balneo vaporis inter agitationem stent, donec sapo perfecte separatus fuerit.

Post refrigerationem saponem lixivio innatantem exime, **Aqua destillata** ablue, inter linteum sensim at fortiter exprime, loco calido exsicca et in pulverem redige.

Sit pulvis albus, odore non rancido, a metallis omnino, a natro hydrico et carbonico nec non a natrio chlorato, quantum fieri potest, liber.

## Secale cornutum.

Mutterkorn.

**Claviceps purpurea *Tulasne.* Pyrenomycetes *Fries.***
**XXIV. 4. *L.***

Corpora fungosa (stromata sterilia) obtuse trigona, plerumque subcurvata, utrinque vel sursum attenuata, trisulca, coloris atro-violacei, saepe pruinosa, intus pallidiora, in apice plerumque appendice (calyptra) sordide albida, floccosa obtecta, pollicem fere longa, ad lineam unam et dimidiam crassa.

Secale cornutum admodum a Secali cereali colligatur; siccatum in vasis bene obturatis nec ultra annum servetur.

## Semen Amygdali amarum.

Bittere Mandeln.

***Amygdalae amarae.***

**Amygdalus communis *L.* *α.***

**Amygdalus amara *De Candolle.* Amygdaleae *Juss.***
**XII. 1. *L.***

Rejiciantur semina vetusta, maculis subflavis intus conspersa, nec non vermiculatione exesa.

## Semen Amygdali dulce.
Süsse Mandeln.

*Amygdalae dulces.*

**Amygdalus communis** ***L.*** ***β.***
**Amygdalus dulcis** ***De Candolle.*** **Amygdaleae** ***Juss.***
**XII. 1.** ***L.***

Rejiciantur semina vetusta, rancida, maculis flavis intus foeda, nec non vermiculatione exesa.

## Semen Colchici.
Zeitlosensamen.

**Colchicum autumnale** ***L.*** **Colchicaceae** ***De Candolle.***
**VI. 3.** ***L.***

Semina subglobosa, lineari diametro, extus fusca, scrobiculata, subviscida, intus albido-grisea, cornea. Semina ne ultra annum et **caute** serventur.

## Semen Cydoniae.
Quittensamen.

***Semen Cydoniorum. Quittenkerne.***

**Cydonia vulgaris** ***Persoon.*** **Pomaceae** ***Juss.***
**XII. 5.** ***L.***

Semina cuneata, angulata vel compressa, ad tres lineas longa, ex rubro fusca, epithelio albido, opaco obtecta, plerumque complura conglutinata, in aqua turgescentia mucilagineque liquefacta lubrica. Cave ne semina **Mali** aut **Piri** aut **Vitis viniferae** immixta sint.

## Semen Lini.

### Leinsamen.

**Linum usitatissimum** ***L.*** **Lineae** ***De Candolle.***
**V. 5.** ***L.***

Semina ovata, compressa, circiter sesquilinearia, laevia, nitida, fusca, in aqua turgescentia et lubrica.

## Semen Myristicae.

### Muskatsamen.

*Nuces moschatae. Muskatnüsse.*

**Myristica fragrans** ***Houttuyn.*** **Myristiceae** ***R. Brown.***
**XXII. 13.** ***L.***

## Semen Papaveris.

### Mohnsamen.

**Papaver somniferum** ***L.*** **Papaveraceae** ***Juss.***
**XIII. 1.** ***L.***

Semina minuta, reniformia, scrobiculata, e subflavo alba, saporis e subdulci oleosi. Rejiciantur vetusta, saporis rancidi.

## Semen Sinapis.

### Schwarzer Senfsamen.

**Brassica nigra** ***Koch.*** **Cruciferae** ***Juss.*** **XV. 1.** ***L.***

Semina subglobosa, fere semilinearia, scrobiculata, e rubro fusca, saporis subamari, oleosi, manducata

vehementer urentia. Cave ne adulterata sint seminibus **Brassicae Rapae** ***L.***, fere tres quadrantes lineae diametro, coloris obscurioris, superficie laeviore, manducatis minus urentibus.

## Semen Strychni.

### Krähenaugen.

***Nuces vomicae. Strychnossamen.***

**Strychnos Nux vomica** ***L.*** **Strychnaceae** ***Blume.***
**V. 1.** ***L.***

Semina discoidea, orbiculata, pollicem fere lata, medio umbonata, indumento densissime adpresso, ex subflavo griseo, sericeo, obtecta, pilis ambitum spectantibus, cornea, intus fissura instructa.

**Caute** serva.

## Serum Lactis.

***R.*** **Lactis vaccini recentis partes trecentas, . . 300.**
**Liquoris ad Serum Lactis parandum partem unam. . . . . . . . . . . . . . . . . 1.**

Lacti vaccino ad 35 sive 40° C. calefacto adde liquorem ad serum lactis parandum, quae exactissime commixta sepone. Coagulatione peracta colando serum lactis a caseo separa.

Sit e subflavo album, saporis non acidi.

## Species ad Decoctum Lignorum.

*R.* **Ligni Guajaci** raspati **partes quatuor**, . . . . . 4.
**Radicis Bardanae**, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 2.
**Radicis Ononidis**, singularum concisarum
partes duas, . . . . . . . . . . . . . . . . . 2.
**Radicis Glycyrrhizae**, . . . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Ligni Sassafras**, singulorum concisorum
**partem unam**. . . . . . . . . . . . . . . . . . 1.

Misceantur.

## Species ad Infusum pectorale.

*R.* **Radicis Althaeae** concisae **partes octo**, . . . . . 8.
**Radicis Glycyrrhizae** concisae **partes tres**, . . 3.
**Rhizomatis Iridis Florentinae** concisi **partem unam**, . . . . . . . . . . . . . . . . . 1.
**Foliorum Farfarae** concisorum **partes quatuor**, 4.
**Florum Verbasci** concisorum, . . . . . . . . . . . 2.
**Fructuum Anisi stellati** contusorum, singulorum **partes duas**. . . . . . . . . . . . 2.

Misceantur.

## Species aromaticae.

*Loco specierum pro Cucupha.*

**R.** **Foliorum Menthae crispae,** . . . . . . . . . . . . **4.**
**Foliorum Melissae,** singulorum **partes quatuor, 4.**
**Florum Lavandulae partes duas,** . . . . . . . . . **2.**
**Caryophyllorum partem unam.** . . . . . . . . . . **1.**

Singula minutim concisa, contusa et pulvere subtili liberata misceantur.

In vase clauso serva.

## Species laxantes St. Germain.

**R.** **Foliorum Sennae Spiritu Vini extractorum partes sedecim,** . . . . . . . . . . . . . . **16.**
**Florum Sambuci partes decem,** . . . . . . . . . **10.**
**Fructuum Foeniculi,** . . . . . . . . . . . . . . . . **5.**
**Fructuum Anisi vulgaris,** singulorum **partes quinque.** . . . . . . . . . . . . . . . . **5.**

Concisa et contusa misceantur.

Quum dispensantur, adde

**Kali bitartarici puri partes tres.** . . . . . . . **3.**

## Spiritus aethereus.

*Spiritus sulphurico-aethereus.*
*Liquor anodynus mineralis Hoffmanni.*

**R.** **Aetheris partem unam,** . . . . . . . . . . . . . **1.**
**Spiritus Vini rectificatissimi partes tres.** . . . . **3.**

Misceantur.

Sit limpidus, coloris expers, ponderis specifici = 0,808 usque ad 0,812.

In vase bene clauso servetur.

## Spiritus Angelicae compositus.

*R.* **Radicis Angelicae** concisae **partes duodecim, 12.**
**Radicis Valerianae** concisae, . . . . . . . . . . **3.**
**Fructuum Juniperi** contusorum, singulorum **partes tres,** . . . . . . . . . . . . **3.**
**Spiritus Vini rectificatissimi,** . . . . . . . . . . **54.**
**Aquae communis,** singulorum **partes quinquaginta quatuor,** . . . . . . . . . . **54.**
**Camphorae partem unam cum dimidia.** . . . . **1½.**

Radicibus et angelicae et valerianae fructibusque juniperi in vesicam destillatoriam immissis affunde spiritum et aquam, macera per horas viginti quatuor. Quo facto destillent **partes septuaginta duae,** . . . . **72.** in quibus camphoram solve; tum solutum filtra.

Sit limpidus, coloris expers.

## Spiritus camphoratus.

*R.* **Camphorae partem unam,** . . . . . . . . . . . . . **1.**
**Spiritus Vini rectificatissimi partes novem,** . . **9.**
**Aquae destillatae partes tres.** . . . . . . . . . . . **3.**

Camphoram in spiritu vini solve, adde aquam et filtra.

Sit limpidus, coloris expers.

## Spiritus Cochleariae.

**R. Herbae Cochleariae florentis recentis**
**concisae partes octo, . . . . . . . . . . . 8.**
**Spiritus Vini rectificatissimi, . . . . . . . . . . . 3.**
**Aquae communis, singulorum partes tres. . . . 3.**

Herbae cochleariae infundantur spiritus vini et aqua; deinde destillent **partes quatuor. . . . . . . . . . . 4.**

Sit limpidus, coloris expers.

## Spiritus Ferri chlorati aethereus.

*Spiritus sulphurico-aethereus ferruginosus.*
*Liquor anodynus martiatus.*
***Loco Tincturae tonico-nervinae Bestuscheffii.***

**R. Ferri sesquichlorati soluti partem unam, . . . . . 1.**
**Spiritus aetherei partes quatuordecim. . . . . 14.**

Mixta in lagenis vitreis cylindricis, bene obturatis solis radiis expone, donec color e fusco flavus omnino evanuerit; tum vasa loco umbroso interdum aperiendo sepone, donec mixturae color sit subflavus.

Sit limpidus, coloris subflavi.

Continet ferri partem unam in 100 partibus.

In vasis epistomiis vitreis bene clausis servetur.

## Spiritus Juniperi.

*R.* **Fructuum Juniperi** contusorum **partem unam,** **1.**
**Spiritus Vini rectificatissimi,** . . . . . . . . . . . . **3.**
**Aquae communis,** singulorum **partes tres.** . . . **3.**

Macera per horas viginti quatuor, tum destillent **partes quatuor.** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **4.**

Sit limpidus, coloris expers.

## Spiritus Lavandulae.

Paretur e **Floribus Lavandulae** eodem modo quo **Spiritus Juniperi.**

Sit limpidus, coloris expers.

## Spiritus saponatus.

*R.* **Saponis Hispanici albi** rasi **partem unam,** . . **1.**
**Spiritus Vini rectificati partes tres,** . . . . . . **3.**
**Aquae Rosarum partem unam.** . . . . . . . . . **1.**

Aquam rosarum cum spiritu vini misce; in mixtis saponem leni calore solve; solutum filtra.

Sit limpidus, coloris subflavi.

Loco non nimis frigido servetur.

## Spiritus Sinapis.

**℞. Olei Sinapis partem unam, . . . . . . . . . . . 1.**
**Spiritus Vini rectificatissimi partes sexaginta. 60.**

Misceantur.

In vasis bene clausis caute servetur.

## Spiritus Vini rectificatissimus.

### Höchst rectificirter Weingeist.

***Alcohol Vini.***

Sit limpidus, coloris expers, ab oleo graveolente, Fuselöl dicto, omnino liber, ponderis specifici = 0,830 usque ad 0,834, quod respondet alcoholis partibus mensura dimensis 91 ad 90 in 100 partibus.

## Spiritus Vini rectificatus.

**℞. Spiritus Vini rectificatissimi partes quinque, . 5.**
**Aquae destillatae partes duas. . . . . . . . . . . 2.**

Misceantur.

Sit limpidus, coloris expers, ponderis specifici = 0,890 usque ad 0,894, quod respondet alcoholis partibus mensura dimensis 70 ad 68 in 100 partibus.

## Spongiae ceratae.

**Spongiae marinae** foraminibus parvis praeditae, ab heterogeneis liberatae et siccatae in frusta dissecentur, **Cerae flavae liquefactae** probe immergantur, prelo calefacto fortiter exprimantur et quum refrixerint, a cera superflua liberentur.

## Stibio-Kali tartaricum.

***Tartarus stibiatus. Tartarus emeticus.***

***R.*** **Stibii oxydati partes quatuor,** . . . . . . . . . . 4.
**Kali bitartarici puri partes quinque,** . . . . . . 5.
**Aquae destillatae partes quadraginta octo.** . . 48.

Stibio oxydato et kali bitartarico in vas porcellanicum immissis aquam affunde et per horam coque, aquam, quae evaporaverit, restituendo; tum evaporent, ut partes fere triginta sex restent. Soluta adhuc fervida filtrentur et ad crystallisationem seponantur. Ex liquore residuo continuata evaporatione et crystallisatione salis quantum fieri potest paretur. Crystalli abluantur, siccentur et in pulverem subtilissimum redigantur.

Sit pulvis albissimus, ignitus adeo, ut acidum tartaricum omnino deletum sit, residuum relinquens, quod si afflaveris, ne odorem alliaceum spargat. In aquae frigidae partibus quindecim, in aquae ebullientis partibus duabus sit solubilis.

In vase bene clauso **caute** servetur.

# Stibium oxydatum.

*Oxydum stibicum.*

*R.* **Stibii sulphurati laevigati partes sex, . . . . 6.**
**Acidi hydrochlorati crudi partes viginti quatuor, . . . . . . . . . . . . . . . . . . 24.**
**Aquae communis partes ducentas, . . . . . . 200.**
**Natri carbonici puri partem unam. . . . . . . 1.**

Stibio sulphurato in cucurbitam vitream satis amplam immisso affunde acidum hydrochloratum; cucurbita sub divo calefiat, donec omnis gasis evolutio cessaverit. Solutum refrigeratum per vitrum grosso modo contusum filtretur et sub divo evaporet, ut **novem partes** restent. Deinde sub perpetua agitatione in aquam infundatur. Praecipitatum inde ortum in manicam linteam immittatur et **Aqua destillata** bene eluatur. Massae cum **Aqua destillata** in vase porcellanico in pultem tenuem redactae inter agitationem et digestionem adde liquorem filtratum e natro carbonico et **Aquae destillatae triplo** paratum, aut hujus liquoris tantum, ut reactionem alcalinam debilem prodat, nec acidum carbonicum amplius extricetur.

Tunc filtretur, stibium oxydatum bene eluatur et siccetur.

Sit pulvis albus, qui nonnisi ad stibio-kali tartaricum parandum conficiendus est.

# Stibium sulphuratum aurantiacum.

*Sulphur stibiatum aurantiacum.*

*Sulphur auratum Antimonii.*

**R.** **Natri carbonici crystallisati crudi partes septuaginta, . . . . . . . . . . . . . . . 70.**
**Aquae communis partes ducentas quinquaginta, . . . . . . . . . . . . . . . . . 250.**
**Calcariae ustae recens paratae partes viginti sex, . . . . . . . . . . . . . . . . 26.**
**Aquae communis partes octoginta, . . . . . . 80.**
**Stibii sulphurati laevigati partes triginta sex, 36.**
**Sulphuris partes septem, . . . . . . . . . . . 7.**
**Aquae communis partes centum quinquaginta. . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 150.**

Natrum carbonicum in aquae priore copia in lebete ferreo solve, soluto fervido inter perpetuam agitationem adde calcariam cum aquae altera copia ad massam pultiformem redactam, deinde stibium sulphuratum et sulphur adde. Mixta inter perpetuam agitationem et aquam evaporatione diminutam semper restituendo coque, donec color griseus omnino disparuerit, tum filtra. Residuum cum aquae tertia copia denuo ebulliat, filtretur et **Aqua fervida** bene eluatur. Liquores obtenti in crystallos redigantur, quae **Natro hydrico soluto valde diluto** abluantur.

Harum crystallorum **partes viginti quatuor** solve in **Aquae destillatae centum partibus**, soluta, si opus fuerit, filtra, cum **Aquae destillatae partibus sexcentis**

dilue et inter agitationem infunde in mixturam refrigeratam, ex **Acidi sulphurici partibus novem et Aquae destillatae partibus ducentis** paratam. Praecipitatum injice in filtrum, in quo **Aqua destillata** omnino eluatur. Postremo inter chartam bibulam exprime et loco obscuro, tepido (25 ° C.) sicca.

Sit pulvis subtilissimus, coloris aurantiaci, odoris expers; qui est saporis acidi, eluendo ab acido liberetur.

A luce arceatur et in vasis bene clausis servetur.

## Stibium sulphuratum laevigatum.

### Fein zerriebenes Schwefelspiessglanz.

***Stibium sulphuratum nigrum laevigatum.***
***Sulphuretum Stibii nigrum. Antimonium crudum.***

Ab arsenico omnino, a plumbo et cupro, quantum fieri potest, liberum sit.

## Stipites Dulcamarae.

### Bittersüssstengel.

**Solanum Dulcamara *L.* Solanaceae *Bartling.***
**V. 1. *L.***

Caules ramique flexuosi, duas ad quatuor lineas crassi, obsolete quinquangulares, nodis alternis instructi, magis minusve verrucosi, longitudinaliter striati vel sulcati, extus e subviridi vel e subfusco lutei, intus

medulla exsiccata excavati, cortice tenui, peridermate obtecto a mesophloeo viridi, demum albido, inter siccandum sejuncto, ligno initio viridi, paullatim subflavo, valde poroso, saepe stratis ligni concentricis praedito; sapore corticis amaro, ligni dulci.

Stipites plerumque concisos in mercaturam venientes adhibere licet.

## Strychnium nitricum.
### Salpetersaures Strychnin.
***Nitras strychnicus.***

Crystalli graciles, flexiles, albae, sericei splendoris, saporis peramari, in aquae ebullientis partibus tribus, in aquae frigidae partibus sexaginta, in spiritu vini absoluto difficile, in alcohole aquam continente facilius solubiles. In aqua solutum strychnium nitricum reactionem neutram prodit, natro hydrico soluto praecipitatur, praecipitatum inde ortum natro hydrico abundante non solubile est. Ignitum intumescit et detonat carbonem relinquens, qui fortiter ignitus sine residuo comburitur. A brucio sit liberum.

In vase clauso **cautissime** servetur.

## Sulphur.
### Schwefel.
***Sulphur sublimatum. Flores Sulphuris. Schwefelblumen.***

Cave ne selenio, neve arsenico sulphurato sit inquinatum.

## Sulphur depuratum.

***Flores Sulphuris loti.***

Sulphur iterum iterumque, postremo **Aqua destillata** abluatur, donec ab acido adhaerente prorsus liberatum sit, tum siccetur et per cribrum trajiciatur.

Sit pulvis citrinus, subtilis, siccissimus. Si sapore acidum in eo percipi possit, abluendo removeatur. Ignitum omnino aut ad residuum valde exiguum usque avolet.

In vase bene clauso servetur.

## Sulphur praecipitatum.

***Lac Sulphuris.***

**℞. Calcariae ustae recens paratae partes decem, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 10.**
**Aquae communis partes sexaginta, . . . . . . 60.**
**Sulphuris partes viginti quatuor, . . . . . . . 24.**
**Aquae communis partes ducentas quadraginta, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 240.**
**Aquae communis partes centum quinquaginta, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 150.**
**Acidi hydrochlorati partes triginta, . . . . . . 30.**
**Aquae destillatae partes sexaginta. . . . . . . 60.**

Calcariae in lebete ferreo cum aquae partibus sexaginta in pultem redactae admisce sulphur et adde

aquae partes ducentas quadraginta. Mixta sub continua agitatione et aquam evaporatione diminutam semper restituendo per horam coque, tum per manicam linteam filtra. Residuum cum aquae partibus centum quinquaginta per horam dimidiam iterum coque, filtra et quod remansit, **Aqua fervida** ablue. Liquores obtentos in lagenis bene obturatis per aliquot dies sepone, tum filtra et liquorem tanta **Aquae destillatae** copia dilue ut sit ponderis **partium quingentarum.** Tum liquorem huncce in vas idoneum infunde et inter agitationem sensim acidum hydrochloratum cum aquae destillatae partibus sexaginta mixtum aut tantum hujus mixturae affunde, ut liquor reactionem alcalinam modo debilem prodat. Sedimento demisso liquorem supernatantem illico defunde, praecipitatum cum **Aqua destillata** misce et liquorem post aliquod tempus iterum defunde.

Sulphuri praecipitato, si ferrum continet, **Acidi hydrochlorati partes tres** cum **Aquae partibus duodecim** dilutas adde et bene agita. Tum mixturam in manicam injice, sulphur **Aqua destillata** bene ablue, loco tepido (25 ad 35° C.) sicca et contere.

Si vero sulphur praecipitatum ferro non inquinatum est, statim in manicam conjice et fac ut supra dictum est.

Sit pulvis subtilissimus, pallide flavus, odoris expers, ignitus residui pauxillum tantum relinquens. Qui sit acidi saporis denuo eluatur.

In vase bene clauso servetur.

# Summitates Sabinae.
## Sadebaumspitzen.

***Herba Sabinae.***

**Sabina officinalis *Garcke.* Coniferae *Juss.***
**XXII. 13. (5.) *L.***

Ramuli juniores, dense coarctati, foliis minimis, rigidis, rhombeis, in dorso glandula instructis, quadrifariam imbricatis, adultioribus patulis, acutis; odoris peculiaris.

Plantam cultam adhibere licet, ramuli ne ultra annum praesto sint.

**Caute** serventur.

# Syrupi.

Parentur, nisi qua alia ratio praescripta est, ita **ut Saccharum albissimum** in liquore solvatur et solutum **semel** ebulliat.

Praeter syrupum amygdalarum omnes sint limpidi et perfecte refrigerati in vasis plane exsiccatis beneque obturatis loco frigido serventur.

## Syrupus Althaeae.

*R.* **Radicis Althaeae** concisae **partem unam**, . . . **1.**
**Aquae communis partes duodeviginti.** . . . . . **18.**

Radicem althaeae per aliquot horas in aqua macera, liquorem sine expressione cola; in **colaturae partibus quindecim** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **15.**
solve

**Sacchari partes viginti quatuor.** . . . . . . . . . **24.**

Sit coloris subflavi.

## Syrupus Amygdalarum.

*R.* **Seminis Amygdali dulcis** excorticati **partes octo**, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **8.**
**Seminis Amygdali amari** excorticati **partes duas**, . . . . . . . . . . . . . . . . . . **2.**
**Aquae communis partes sedecim**, . . . . . . . . **16.**
**Aquae Florum Aurantii partes tres.** . . . . . . **3.**

Seminibus amygdali in mortario lapideo pistillo ligneo contusis sensim adde aquam communem et aquam florum aurantii. Liquorem per pannum laneum cola et in **colaturae viginti partibus** . . . . . . . . . . . **20.**
in balneo vaporis solve

**Sacchari partes triginta sex** . . . . . . . . . . . **36.**

Sit coloris albidi.

## Syrupus Balsami Peruviani.

*Syrupus balsamicus.*

*R.* **Balsami Peruviani partem unam,** . . . . . . . 1.
**Aquae fervidae partes duodecim.** . . . . . . . . . 12.

Balsamum in vase clauso per aliquot horas cum aqua digere, liquorem refrigeratum defunde, tum filtra et in **decem** ejus **partibus** . . . . . . . . . . . . . . . 10.
solve
**Sacchari partes duodeviginti.** . . . . . . . . . . . 18.

Sit coloris subflavi.

## Syrupus Cerasorum.

*R.* **Cerasorum acidorum recentium** quantum placet.

Cum nucleis contusa stent per triduum, tunc succum exprime, quem sepone, donec fervore peracto limpidus appareat.

In hujus succi filtrati **partibus quinque** . . . . 5.
solve
**Sacchari partes novem.** . . . . . . . . . . . . . . . 9.

Sit coloris atro-purpurei.

## Syrupus Cinnamomi.

*R.* **Corticis Cinnamomi Cassiae** grosso modo contusi **partes duas**, . . . . . . . . . . . **2.**
**Aquae Cinnamomi spirituosae partes duodecim**, . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **12.**
**Aquae Rosarum partes duas.** . . . . . . . . . . **2.**

Digerantur in vase clauso per biduum et filtrentur. In liquoris filtrati **partibus undecim** . . . . . . . **11.** solve
**Sacchari partes duodeviginti.** . . . . . . . . . . . **18.**

Sit coloris e rubente fusci

## Syrupus communis.
### Gemeiner Syrup.

Nonnisi syrupus in depurando saccharo Indico obtentus adhibeatur.

## Syrupus Corticis Aurantii.

*R.* **Corticis Fructus Aurantii** a parenchymate interno albo mundati et concisi **partes duas**, . . . . . . . . . . . . . . . . **2.**
**Vini Gallici albi partes tredecim.** . . . . . . . . **13.**

Cortici fructus aurantii vinum infunde, in vase clauso per biduum macera, tum exprime et filtra.

In liquoris filtrati partibus undecim . . . . . . . . 11.
solve

**Sacchari partes duodeviginti** . . . . . . . . . . . 18.

Sit coloris e subflavo fusci.

## Syrupus Florum Aurantii.

*Loco Syrupi Capillorum Veneris.*

*R.* **Sacchari partes novem,** . . . . . . . . . . . . . 9.

**Aquae Florum Aurantii partes quinque.** . . . 5.

Sit coloris expers.

## Syrupus Glycyrrhizae.

*Syrupus Liquiritiae.*

*R.* **Radicis Glycyrrhizae** concisae **partes quatuor,** 4.

**Aquae communis partes duodeviginti.** . . . . . 18.

Macera per noctem. Liquor expressus et colatus semel ebulliat, tum in balneo vaporis evaporet, ita ut post refrigerationem et filtrationem supersint **partes septem,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 7.
in quibus solvantur

**Sacchari,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 12.

**Mellis depurati,** singulorum **partes duodecim.** 12.

Sit coloris e flavo fusci.

## Syrupus Ipecacuanhae.

*R.* **Radicis Ipecacuanhae** contusae **partes tres,** . **3.**
**Aquae communis partes octoginta quinque,** . **85.**
**Spiritus Vini rectificatissimi partes decem. . . 10.**

Digere per horas viginti quatuor, tum filtra et in liquoris filtrati **partibus octoginta octo** . . . . . . . **88.**
solvantur

**Sacchari** partes **centum** quadraginta **quatuor. 144.**

Sit coloris subflavi.

## Syrupus Rhei.

*R.* **Radicis Rhei** concisae **partes duodecim,** . . . **12.**
**Corticis Cinnamomi Cassiae** contusi **partes tres,** . . . . . . . . . . . . . . . . . . **3.**
**Kali carbonici puri partem unam,** . . . . . . . **1.**
**Aquae communis partes nonaginta sex.** . . . . **96.**

Macerentur per noctem. In liquoris colati et filtrati **partibus octoginta** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . **80.**
solve

**Sacchari partes centum quadraginta quatuor. 144.**

Sit coloris e fusco rubri.

## Syrupus Rubi Idaei.

Succus rubi idaei e **Fructibus Rubi Idaei recentibus** contritis eodem modo paretur, quo **Succus Cerasorum.**

In hujus succi **partibus quinque** . . . . . . . . . . **5.**
solvantur
**Sacchari partes novem** . . . . . . . . . . . . . . . **9.**

Sit coloris rubri.

## Syrupus Senegae.

***R.*** **Radicis Senegae concisae partes duas,** . . . . **2.**
**Aquae communis partes viginti duas,** . . . . . **22.**
**Spiritus Vini rectificatissimi partes tres.** . . . **3.**

Macera per biduum, tum exprime et filtra.

In liquoris filtrati **partibus viginti duabus** . . . . **22.**
solvantur
**Sacchari partes triginta sex.** . . . . . . . . . . . **36.**

Sit coloris subflavi.

## Syrupus Sennae cum Manna.

*Loco Syrupi mannati.*

***R.*** **Foliorum Sennae** concisorum **partes octo,** . . **8.**
**Fructuum Foeniculi** contusorum **partem unam,** **1.**
**Mannae partes duodecim,** . . . . . . . . . . . . **12.**
**Aquae fervidae partes quadraginta octo.** . . . **48.**

Foliis sennae, fructibus foeniculi et mannae infunde aquam fervidam. Stent in vase clauso per aliquot horas interdum agitata, tum exprimantur, liquor subsidat et coletur. In **colaturae partibus quadraginta octo** . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 48.
solvantur

**Sacchari partes quadraginta octo**. . . . . . . . 48.

Sit coloris fusci.

## Syrupus simplex.

***Syrupus Sacchari. Syrupus albus.***

***R.*** **Sacchari partes novem**, . . . . . . . . . . . . . . 9.
**Aquae communis partes quinque**. . . . . . . . . . 5.

Sit coloris expers.

## Syrupus Spinae cervinae.

***Syrupus domesticus. Syrupus Rhamni catharticae.***

Succus e **Fructibus Rhamni catharticae recentibus** et perfecte maturis eodem modo, quo **Succus Cerasorum** paretur.

In succi **partibus quinque** . . . . . . . . . . . . . . 5.
solve

**Sacchari partes novem**. . . . . . . . . . . . . . . 9.

Sit coloris violacei.

## Syrupus Succi Citri.

*R.* **Succi Citri** recens expressi et filtrati
partes quinque, . . . . . . . . . . . . . . 5.
**Sacchari** partes novem. . . . . . . . . . . . . . . 9.
Sit coloris subflavi.

## Terebinthina.

Terpenthin.

*Terebinthina communis.*

**Picea excelsa** ***Link.*** **Pinus Pinaster** ***Aiton.***
**Pinus nigricans** ***Host.*** **Pinus silvestris** ***L.***
**et nonnullae aliae Pini species.**
**Coniferae** ***Juss.*** **XXI. 9. (2.)** ***L.***

Balsamum ex subflavo album, turbidum, tenax, mellis densitate, subgranulosum, quum non movetur superne stratum limpidius, diaphanum separans, odoris peculiaris.

## Terebinthina laricina.

Lärchen-Terpenthin.

*Terebinthina Veneta. Venetianischer Terpenthin.*

**Larix decidua** ***Miller.*** **Coniferae** ***Juss.***
**XXI. 9. (2.)** ***L.***

Balsamum spissiusculum, diaphanum, tenacissimum, subflavum, odoris peculiaris, non ingrati.

# Tincturae.

Ad tincturas parandas substantiae, e quibus conficiantur, nisi qua alia ratio praescripta est, una cum liquore per octo dies temperatura 15 usque ad 25 ° C. in vase clauso saepius agitando macerentur, liquor decantetur, residuum exprimatur et liquores obtenti filtrentur.

Liquorem in parandis tincturis consumtum restitui non licet.

Tincturae praeter tincturam rhei vinosam sint limpidae.

In vasis bene clausis loco frigido, non aprico serventur.

## Tinctura Absinthii.

*R.* **Herbae Absinthii** minutim concisae **partem unam**, **1.**
**Spiritus Vini rectificati partes sex** . . . . . . . . **6.**

Sit coloris e viridi fusci.

## Tinctura Aconiti.

*R.* **Tuberum Aconiti** grosso modo pulveratorum **partem unam**, . . . . . . . . . . **1.**
**Spiritus Vini rectificati partes octo** . . . . . . . **8.**

Sit coloris e flavo fusci.

**Caute** servetur.

## Tinctura Aloës.

*R.* **Aloës** contusae **partem unam**, . . . . . . . . . 1.
**Spiritus Vini rectificatissimi partes sex.** . . . 6.
Sit coloris e nigro fusci.

## Tinctura amara.

*R.* **Herbae Centaurii minoris** concisae, . . . . . . 2.
**Fructuum Aurantii immaturorum** contusorum, 2.
**Radicis Gentianae rubrae** concisae, singulorum **partes duas**, . . . . . . . . . . 2.
**Rhizomatis Zedoariae** concisi **partem unam**, . 1.
**Spiritus Vini rectificati partes triginta sex.** . 36.
Sit coloris fusci, paullum subviridis.

## Tinctura aromatica.

*R.* **Corticis Cinnamomi Cassiae** grosso modo pulverati **partes quatuor**, . . . . . . . . 4.
